

JOACHIMI HAGEMEIERI

De

FOEDERE CIVITATUM HANSEATICARUM COMMENTARIUS.



FRANCOFURTI ad MOENUM
Apud IOANNEM BEYERUM.

CIƆ IƆC LXII.



SACRI ROMANI IMPERII

Trium illustrium Rerumpublicarum


LUBECENSIS
BREMENSIS
HAMBURGENSIS

Magnificis, Nobilissimis & Amplissimis

Dominis Consulibus, Syndicis & Senatoribus, hodiè in Hansa Teutonica Plenipotentiariis, amicis & fautoribus suis maximis

JOACHIMUS HAGEMEIERUS

S. P. D.



AUdent hæ paginæ, Viri Magnifici & Nobilissimi, argumenti fiduciâ vestrum nomen sibi inscribere, quod in Fœdere Hanseatico semper eminentissimum fuit. Quæ ad antiquissimæ Societatis originem, ad illius incrementum, itemque ad formam & constitutionem tam veterem, quam hodiernam pertinent, quibusdam id abs me exigentibus, ea brevitate nuper complexus sum, ut confidam laborem meum vobis non ingratum futurum, inprimis cum non

nulli vel ex odio, vel ex ignorantia, de laudatissimo hoc Fœdere aliter judicent, quam par est. Nolui autem res ab Hansa Teutonica præclare gestas huic Commentario inserere; esset hoc nimis prolixum, & alias nemo in Annalibus Superiorum temporum vel mediocriter versatus ignorare potest, tot illustria specimina. Sæpè gravissima bella terra marique à Majoribus vestris feliciter & gloriosè confecta reperio, qui per illatas injurias provocati avitam libertatem & jura acquisita justissimè propugnarunt. Enimverò cùm incluti Collegii vestri ab aliquot annis non levia in me extent beneficia, ingrati hominis notam vix declinarem, si id reticerem diutius, quamvis facilè agnoscam me vetus debitum libello hoc minimè expungere, quem ut serena fronte excipiatis, etiam atque etiam peto; interea ex animo precor, velit Deus Optimus Maximus florentissimas Civitates vestras conservare imposterum, & clementissime prospicere, ne quid detrimenti capiant hujus Nobilissimi Fœderis Socii in universum. Valete feliciter.

Francofurti ad Mœnum Kalend. Martiis
Anno cIↃ IↃc LXII.

INDEX

INDEX CAPITVM.

OMISSUM.

CAP. III. *Civitatibus Saxonicis addendæ;* Gottinga, Hildeshemium, Hannovera.

DE



De Foedere Civitatum Hanseaticarum Commentarius.

CAP. I.

DE ETYMOLOGIA VOCIS HANSÆ & origine Fœderis.

FOedus Civitatum Hanseaticarum, quod pro libertate commerciorum & mutua defensione adversus quascunque injurias contractum est, non tantum in Germania, sed finitimis quoq; Regnis atque Provinciis ab aliquot retrò seculis celebre fuit. Ex his cum præcipuæ majoresque ad mare, quod Saxones *See* vocant, positæ sint, inde *Ansee* nomen profectum esse, non pauci suspicantur. Alii vocis originem Gothis asscribunt, qui viros summæ dignitatis *Anses* appellabant, quale nomen etiamnum in Saxonia inferiori superest. Jornandes de rebus Geticis cap. 13. *Tum Gothi haud segnes reperti arma capessunt, primique armati conflictu mox Romanos devincunt, Fuscoque duce extincto, divitias ex castris militum despoliant, magnâque potiti per loca victoriâ, tum Proceres suos quasi qui fortuna vin-*

cebant, non puros homines, sed Semi-Deos, id est, Anses *appellavêre.* Apud me certum est, quicquid etiam ab aliis in medium afferatur, ab antiqua voce *Hansa* quæ societatem fœdus, & Collegium significat, Civitates nostras nomen accepisse. Accedit ad hanc sententiam Georgius Fournier *in Geographica Orbis Notitia lib. 3. cap. 12. Est Hansa vel dictio Gothica conventum sonans, vel Teutonica, quæ immunitatem significat â qua urbes dictæ Hanseaticæ, numero sexaginta sex, quæ societatem inierunt ad conservanda privilegia variis â Principibus concessa, quos aliquando suis armis & classibus non mediocriter adjuverunt.* Cæterum quo anno præcisè Fœdus hoc coaluerit, non satis expeditum est. Ex vetustissimis documentis, quę ad manus meas pervenerunt, conjicio Civitates, quasdam maritimas inferioris Saxoniæ inprimis autem Lubecam & Hamburgum, ut mercaturam liberè & securè exercerent, paulò ante Friderici II. Imperatoris ætatem, circa annum 1200. societatem iniisse, atque hâc occasione, cum postea aliæ remotiores extra Saxoniam sub certis legibus accederent, natam esse illustrem confœderationem, quam hodiè Hanseaticam vocamus. Concedamus Lubecam, societatis caput, Danis ex Holsatia discedentibus, serius, & sub Friderico II. demum Imperii libertatem consecutam fuisse, propterea tamen hujus fœderis initium in posteriora tempora minime rejiciendum esse arbitramur; cum vero simile non sit, huic Urbi statim in principio fœderis dignitatem istam collatã esse. Specialis & recentior societas est quarundam Civitatum Saxonicarum, quam tangit Bodinus *lib. 1. de Republ cap. 7. in fine. Antea quidem & in annos quadraginta societas quæ Suevica dicitur, contracta fuerat â Civitatibus Germaniæ superioris, in qua nihil præter Imperium Germanicum exceperunt. Nec multo post Wandalorum Civitates Imperiales, Lubeca, inquam, Hambur-*

Hamburgum, Wismara, Rostoca, Brema, *Stada, societatem simul coierunt, ac belli gerendi causa ducem Holsatium crearunt.* Hujus fœderis potentia immunitatibus Principum atque civium opibus â prima origine intra paucos annos tantoperè excrevit, ut vicini Reges aliique Status amicitiam nostrarum Civitatum quasi affectaverint: Certè superioribus seculis Reges Septentrionales Collegii Hanseatici robur tanti fecerunt, ut illius arbitrio & decisioni controversias maximi momenti sæpius subjecerint. Petrus Bertius *lib. 3. rerum Germanicarum c. 4. Hoc constat illarum* (civitatum Hanseaticarum) *ope gravia bella olim fuisse composita, discordias vicinorum Regum Principumque sopitas, pacem restitutam, quod magnum crederetur momentum ipsorum potentia allatura, si sese alterutri parti adjunxissent: Merito ut societas Teutonica sequestra pacis, publicæque per Germaniam tranquillitatis procuratrix multis jam seculis habita sit.*

CAP. II.

FOEDUS CIVITATUM HANSEATIcarum licitum & legitimum esse ostenditur.

QUanquā nonnullæ Civitates fœderis Hanseatici superiorē Magistratum præter Cæsarem agnoscant, & per consequens, neque in Comitiis, neque in conventibus Imperii Circularibus sessionem & votum habeant, ex eo tamen nondum sequitur, quod speciem conspirationis sapiat societas. Pro adversa opinione nihil præsidii est in Aurea Bulla Caroli IV. cap. 15. Nam si rem rectè consideremus in hac ipsa sanctione quæ fœdere nostro posterior est, non prohibet Imperator, sed permittit potius pacta & confœderationes Civitatum inter se, pro publica

pace provinciarum. Fatetur hoc ipſum Eberhardus â Weyhe, huic Societati non usq; adeò benignus, *lib.1.de Fœderibus c.2. Etsi vero de anno initi fœderis dubitent prudentes, tamen hoc certum eſſe ſcio, Caroli IV. gratiâ Hanſeaticum fœdus confirmatum eſſe.*

Ex Annalibus planum eſt, Imperatores Germanicos pro quibusdam Civitatibus Hanſâ ejectis ad Collegium non ſemel ſcripſiſſe, quod utique non feciſſent, ſi fœdus noſtrum judicaſſent illicitum atque illegitimum. Itaque cum Brunſuicenſes Hanſâ excluderentur, Carolus IV. authoritate ſua effecit, ut præviis certis ritibus anno 1381. recepti fuerint, teſte Alberto Krantzio *Wandal. lib. 9. cap. 7* qui in eadem Hiſtoria *lib. 13 cap. 12.* commemorat, Colonienſes beneficio Friderici III. Imperatoris & Archiepiſcopi anno 1475. cum ſociis rediiſſe in gratiam, â quibus ſegregati fuerant Verba ejus hæc ſunt: *Cætum habuere celebrem in Lubeca urbes communionis Hanſæ Teutonicæ anno proximo, ibi Colonienſes jam ſe ante â reliquis ſegregatos in Anglia, ad eam redire communionem manibus pedibusq; contenderunt, alioquin non uſuri in Anglia immunitatibus ab olim indultis. Diu reluctatum eſt. Oſtenſæ ſunt crebræ illorum in ſocios communionis tergiverſationes. Scripſere pro illis Imperator & Archiepiſcopus Colonienſis, ſed cum diu illis pernegata eſſet reconciliatio, ſatisfactione præmiſſâ paſſi ſunt redire in id ipſum.*

Noſtro ſeculo Ferdinandus II. inter arma victritia Civitates Hanſeaticas ad nauticum fœdus ineundum cum Hiſpanis per Legatos invitavit, qui in Conventu Lubecenſi anno 1628. Cæſaris nomine profeſſi ſunt, ſalutem atque incolumitatem harum Urbium Imperii rebus maximum momentum adjicere. Eandem rationem ſecutus eſt laudatiſſimi Patris optimus filius Ferdinandus III. qui non tantum ex conſenſu Electorum, Principũ,

cæte-

cæterorumque Statuū Civitates nostras anno 1648. Instrumento pacis Westphalicę comprehendendas esse censuit (quo ipso publicè & quasi in facie totius Europæ fœdus pro legitimo agnitum est) sed prospexit etiam, ut ipsarum Jura & privilegia salva atque integra conservarentur. Instrum. Pacis Cæsareo-Suec. *Art. X. §. ult. Interq; eos Civitatibus Hanseaticis eam navigationis & commerciorum libertatem tam in exteris Regnis, Rebus-publicis & provinciis, quam in Imperio integram conservabunt, quam ibi ad præsens usque bellum habuerunt.* Ut plura alia fundamenta nunc omittamus, tutissima est Hansæa societas sola præscriptione temporis immemorialis, quæ plus quam privilegiū, pactum, vel manifesta concessio efficit, ut omnino oleum & operam perdant, qui fœdus hoc deinceps oppugnare annituntur. Dominicus Arumæus *in Commentario ad Auream Bullam Cap. 15. §. 10. Quare concludimus, quia fœdus illud (Hanseaticum) ab Imperatoribus, Regibus, Principibus cæterisq; Imperii Ordinibus legitimum & justum hactenus habitum fuit; ideo etiam id tale verè censeri debet.* Indubitatum porro est, Civitates nostras etiam cum exteris legitimè fœdera contrahere, modo Cæsar & Imperii Status excipiantur, ideoque licet de Fœdere anno 1615. cum Belgii Ordinibus inito, Ministri Imperatoris Matthiæ, teste Casp. Klockio *de Contribut. cap. 14. sect. 3. num. 60.* qui tunc temporis Viennæ fuit, paullo sequius judicaverint, postea tamen deprehensum est, rem multo aliter sese habere, nec quicquam in detrimentum atque præjudicium Imperii ab his Urbibus tentatum esse, quod perperam nuper asseruit Benjaminus Leuberus, in disquisitione Stapulæ Saxonicæ adversus Magdeburgensium Privilegium Ottonicum, num. 1149. & seqq.

Ex eadem ratione iam ante aliquot secula Socii Hansæ

 Teuto-

Teutonicæ cum Galliæ Regibus fœdus & Pacem perpetuam inierunt nihil cōtradicente Imperio. Krantzius *Wandal. lib. 14. c. 22. Per idem tempus* (anno 1497.) *missus est idem ille Wandalicarum Vrbium nomine, qui supra nuntius in Franciam ad maris Admiraldum, Virum Nobilem, ut quereretur multas in mari ex Francia fieri deprædationes adversus perpetuam pacem quæ esset inter Coronam & Civitates. Satis habere in promptu easdem Vrbes, quæ par pari redderent; sed deferre Majestati Regiæ, ne ante se, quam querantur, vindicarent, orare ut rebus finem faciat. Compertus est ille Admiraldus, in urbe Parisiorum, ibiq; præsente Archiepiscopo Lugdunensi (qui & Cardinalis Romæ Ecclesiæ) & aliquot ex Parlamento præsidentibus Doctoribus responsum est nuntio, non placere Regi, si quid fiat adversus fœdera, quæ ille manere cupiat inviolata; constituisse illum qui talibus rebus prospiceret.* Huiusmodi fœdus nuper inter Christianissimum Regem & Civitates Hanseaticas, anno scilicet 1655. mense Maio renovatum est, de quo postea. Refutatione propemodum indigna est Hermanni Kirchneri sententia, qui *lib. 1. de Legatis c. 3.* negat Civitatibus Hanseaticis competere *jus* mittendi Legatos, cum ex dispositione iuris civilis huiusmodi collegia privatorum loco sint & per consequens iura Maiestatis non habeant. Alia nunc rerum facies est, neque hodiè de statu Imperii Romano Germanici ex Legibus Justinianeis *judicandum*. Ab aliquot seculis Hansa Teutonica ad Imperatores, ad Hispaniæ, Galliæ, Poloniæ, Daniæ & Sueciæ Reges ad Magnos Moscoviæ Duces, diversosque Principes & Status misit Legatos, & vicissim recepit aliorum, adeò ut anno 1598. uno eodemque tempore ipsius Imperatoris Hispaniæ, Poloniæ & Sueciæ Regum Ministri ad Comitia Lubecensia venerint.

CAP.

DE NUMERO CIVITATUM HANSEATICARUM *earumque divisione.*

CUm ex Civitatibus Hanseaticis quædam pro re nata recesserint à fœdere, quædam vero ab ipsis sociis ejectę receptæq; fuerint, non potuit aliter fieri, quam ut series & Catalogus esset paulò incertior. Thuanus *lib.* 51. *Historiarum* ex Davidis Chytræi sententia, quem in rebus Saxonicis perpetuo sequitur, plures octoginta constituit, alii pauciores numerant. Hoc certum est quod anno 1494. in Comitiis Lubecensibus septuaginta duæ superfuerint, postea ibidem anno 554. comparuerunt sexaginta sex, quarum cives soli sunt capaces privilegiorum in quatuor Emporiis, cum non constet plures hujus fœderis legibus & statutis tunc temporis sese subjecisse. Nati autem in pagis Hanseaticis ad usum privilegiorum non prius admittuntur, quàm jura Civitatum legitimè consecuti fuerint. Totum Systema, hodierna tempora respiciamus, compositum est ex Civitatibus Imperii absolute liberis & conditionatis seu mixti status & peregrinis, quæ Imperium Germanicum non amplius agnoscunt, ut sunt Belgicæ, Prussicæ & Livonicæ: ratione originis dividuntur in Wandalicas, quæ primitus coierunt, & ultra Wandalicas, ut appellãt, quę Wandalicis accesserunt postea; ratione situs autẽ in Orientales & Occidentales. Ad Orientalẽ Hansam referuntur Lubeca, Brunsuiga, & Dantiscum cum Civitatibus subordinatis, quarum Incolæ respectu cæterarum Germaniæ provinciarum Orientales sunt, atque propterea â Gallis, Anglis & Belgis Osterlingi dicuntur. Bodinus *de Republ. lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 96. *Itaque videmus jura commerciorum singularibus pactis populorum ac Princi-*

pûm

ipsum conventis contineri; *Cujusmodi sunt ea quæ à Regibus Francorum tributa sunt Balticis Civitatibus, quas ipsi Osterlandos appellant.* Occidentalis Hansæ caput Colonia Agrippina cum civitatibus ad Oceanum occidentalem positis. Omnes olim in tres, posteà Prussicis accedentibus, in quator Circulos sive Regiones distributæ sunt, quarum unaquæque suam habet Metropolin & civitatem quasi Subsidiariam, quæ Metropolitanæ officio fungitur, si illa vel obsessa, quod Brunsuicensibus hoc seculo bis contigit, vel fœdere ejecta sit, vel propter aliud impedimentum officium facere nequeat.

Primi Circuli seu Quartirii pariterque totius Corporis Hanseatici caput est Lubeca, â Friderici II. Imp. temporibus urbs libera & potens, quæ habet sibi junctas civitates *Wandalicas quinq;*, Hamburgum, Rostochium, Stralesundium, Wismariam, Luneburgum & *Pomeranicas octo*; Stetinum, Anclanum, Golnaviam, Gryphiswaldium, Colbergam, Stargardam, Stolpam, Rugenwoldum.

Secundæ Regioni præest Colonia, illustris ad Rhenum Civitas quę Justiniani tempore ex *l.8.§.2 D. de Censibus* Juris Italici fuit, & nó an. 1487. ut vult Chytręus ni Chronicis, sed multo ante Societati accessit, adeò ut in hâc Civitate an. 1358. in solennibus Comitiis bellum adversus Waldemarum VI. Danię Regem, decretum sit, quâ occasione ipsam Hafniam sive Copenhagium aliasque Civitates cum freto Oresundico occuparunt Hanseatici, referente Krantzio *Lib.7. Daniæ Cap 39.* Huc pertinent Civitates *Westphalicæ decem*, Monasterium, nupera pace Imperii notissima Civitas, Osnabrugæ, Dortmunda, Hervordia, Soesta, Paderborna, Lemgovia, Bilefeldia, Lipstadium, Goesfeldia: *Clivicæ & Marchicæ sex.* Vesalia, Duisburgum, Emmericum, Warbur-

gum

gum, Unna & Hamma, *Gelricæ septem*, Nimmegia, Zutphania, Ruremunda, Arnheimum, Venloa, Elburgum, Hardervicum. *Transisalanicæ tres*, Daventria, Campi, Suolla; *& Frisicæ tres*, Groninga, Bolsvverda & Stavera.

Tertia Metropolis est Brunsuiga cum urbibus, *Saxonicis duodecim*, quales sunt Brema bene munita & libera Imperii Civitas ad Visurgin, Abbas Stadensis in Chronico: *Ipso tempore* (hoc est anno 1013.) *ferunt aggerem Bremensem firmatum contra insidias & impetus inimicorum*. Magdeburgum, Goslaria, Eimbeca, Ulsena, Stada, Buxtehuda, Hamelia & Minda.

Quartæ classis caput est Dantiscum, urbs dives & Regno Poloniæ maximè fidelis. Membra sunt *Prußicæ quinque*, Konigsberga, Culma, Thorunium, Elbinga, Brunsberga, *& Livonicæ tres*, Riga, Revalia, Dorpatum.

Cæterum licet singulæ Civitates, quas modo recensuimus, hodie non amplius ad societatem pertineant, quibusdam superiori & hoc nostro seculo, ut dictum, propter imbecillitatem recedentibus â corpore, quibusdam vero propter amissam libertatem neglectis durat tamen etiamnum inter peræcipuas Urbes (quales sunt Lubeca, Brema, Hamburgum, Dantiscum, Brunssviga, Colonia Agrippina, Magdeburgũ aliæq;) illustre Fœdus Hanseaticum, quod præter Imperatorem, sicut ex diversis literis, Recessibus & Constitutionibus apparet, exteri quoque Principes & Status agnoscunt, ut mi-

rari satis non possim Informatorum Fisci Anglicani insignem impudentiam, qui ante annos quasi tres, Domum Teutonicam sive Stihardanam, quæ Londini est, ex hoc capite in Parlamento inprimis oppugnarunt, quasi Fœdus Hanseaticum esse desierit; sed huic falsæ ineptæque objectioni, per publicum Scriptum societatis nomine, anno *1659*. sufficientissime responsum est, quod Actis adjecimus.

C A P. IV.

DE SEX CIVITATIBVS WANDALICIS & illarum fœdere speciali.

VEritati inprimis consentaneum est, Wandalos seculo quinto ex Provinciis Orientalibus trans Vistulam egressos ad mare Balthicum consedisse, atque his locis sine motu diutissimè imperasse, donec tandem â potentissimis Saxoniæ Ducibus & præcipuè sub Henrico Leone, bello superati & propriis sedibus ejecti fuerunt, qua occasione introductis Coloniis Saxonicis, Wandalorum nomen cæpit interire. Krantzius *lib. 7. Wand. cap 10. Nam etsi fundus sit Wandalicus, omne tamen nomen Wandalicum ita habuerunt advenæ Saxones exosum, ut non paterentur in suis Collegiis & Societatibus quemvis esse, qui non sit ortus Parentibus Teutonicis, idque sacramentis extorquent ab iis, quos suscipiunt.* Ab hujus gentis memoria sex Civitates, Lubeca, Hamburgum, Rostochium, Stralesundiũ, Wismaria & Luneburgum, etiamnũ Wandalicę appellantur, quamvis Hamburgũ & Luneburgũ propriè ad Saxoniam pertineant. Idem Krantzius *lib. 1. de Wand. cap. 1. In hoc maritimo tractu Wandaliæ ab olim â Wandalis (quos Sclavos etiam nostri dixêre) habitato nunc vero à Saxonicis occupato, florue-*

floruerunt ab olim aliquot splendidæ Vrbes, quarum tanta erat potentia, ut potentissimo Danorum Regi sæpè confligerent; Nunc partim funditus eversæ, partim ad villarum rusticarum vilitatem redactæ marcuerunt. Sub Saxonum autem gubernaculis aliæ locis aliis extructæ, nunc potissimum propitio Deo florent; Quæ vetus regionis nomen etiam non ipsæ erubescunt, usq; hodie appellatæ Wandalicæ Vrbes. Et postea: *Hamburgum, etsi Wandalica Vrbs à solo non sit, multis tamen in rebus socia est Vrbibus memoratis. Luneburgum quoque in hac Wandalicarum* Urbium *societate numeratur, propter altrinsecam habitatorum in mercaturis communionem.* Urbes istæ speciale fœdus ante aliquot secula inierunt, quod ex fide Alberti Krantzii *Wand. lib. 14. cap. 1.* anno 1484. Lubecæ renovatum est. Fuerunt summæ semper authoritatis in Hansa, & hodieque moris est, ut prius conveniant, & de incidentibus negociis deliberent, antequam universi corporis solennia Comitia instituantur. Tangunt hoc Lubecenses in literis ad Senatum Magdeburgensem anno 1624. die 24. Febr. exaratis: *Celare Vestrā Honoratiss: Prudentiam non possumus, quod ex more antiquo cum reliquis Civitatibus Wandalicis communi caverimus, ut consilio suo nobis suggererent num hoc tempore cōduceret & necessitas talis esset, ut communis Hansæ Conventus & secundum hactenus usitatam consuetudinem, prius Conventus Wandalicus institueretur.* In publicis Consessibus hunc ordinem observant perpetuo, ut prima sit Lubeca, commerciis in Septentrionē nobilis, quam Æneas Sylvius, gravis author, & postea Pōtifex Maximus, in Europę descriptione nō leviter commēdat, Secunda est Hamburgū, Stormariæ Metropolis in Saxonia Trans Albina, hodiè Emporiū totius Europæ, nedū Germaniæ celeberrimū. Habuit hæc Civitas cū Serenissima Domo Holsatica, ratione immedietatis, gravissimas quęstiōes, quib9 multis

ante annos aliquot per ſententiam Cameræ Spirenſis finis tandem impoſitus eſt. Refert eam Caſpar Klockius *de Contribut. cap.19.num.21.* ibique *n.71.* Addit: *In indice ſive Matricula Francofurtenſi Friderici III. anno 1489. Hamburgum cum Rege Daniæ & Duce Holſatiæ conjunctum eſt, cum indubitanter Imperii libera Civitas ſit, & pro tali etiam nupera Cameræ ſententia anno 1618 declarata fuerit.* Tertia eſt Roſtochium, ditionis Mechelburgenſis, negotiationibus in Daniam, Sueciam, Pruſſiam, vicinasque Provincias & florentiſſima Academia celebris, ubi hactenus Viri ſummi maxima cum laude docuerunt. Quarta eſt Straleſundium, quæ â maris inter Rugiam & Civitatem excurrentis inſula *Strela* & Danica voce *Sund*, qua anguſtæ maris fauces denotantur, nomen contraxit. Hodie ſalvis privilegiis cum Pomerania citeriori per Pacem Osnabrugenſem ad Sueciæ Reges pervenit. Quinta eſt Wismaria, oppidum ſatis ſplendidum, & ex ruinis quondam ibi proximæ Urbis Mechelburgi extructum. Quidam propter maris vicinitatem quaſi *Cismariam* dictam eſſe arbitrantur, quod nos in medio relinquimus. Ante motus Germanicos pro Dominis agnovit Sereniſſimos Duces Megapolitanos lineæ Suerinenſis; Iam paret Sueciæ Regno ex Inſtrumento pacis â quo nuper ſummum Tribunal ſeu Appellationis inſtantia, pro acquiſitis in Germania provinciis ibi conſtituta eſt. Sexta eſt Luneburgum, prioribus recentior, & Sereniſſimis ducibus Brunſuicenſibus & Luneburgenſibus certis legibus ſubjecta, qui ante paucos annos Caſtello montis Calcarii præſidium impoſuerunt. In Hexapoli hac Wandalica totaque vicinia omnium antiquisſima eſt Hamburgum, ut fruſtra ſe opponat Stada, Civitas in ducatu Brumenſi, quaſi ipſa extiterit ante Chriſtum natum. Teſtatur hoc quidem Saxo Grammaticus Zelandus, in Hiſtoria rerum

rum Danicarum, sed quis ignorat illius fidem ab eruditis damnari? Itaque cum ex Annalibus Capituli Bremensis constet, quod Carolus Magnus, confecto bello Saxonico, jam anno 789. sub Uthone, quem Eginhartus Ottonem vocat, præsidium reliquerit Hamburgi, & Albertus, Abbas Stadensis in Chronico originem Comitum Stadensium, â quibus Urbs condita est, ad annũ 1144. referat, facili negotio controversia hæc dirimitur Joannes Gryphiander, *de Weichbildis Saxonicis in Præf. n. 44. de Stadio Urbe scribitur, quod Saxones de Alexandri Magni exercitu navigiis Albim intrantes, hic stationem invenerint, urbemque conditam exinde appellaverint. Qui adventus cum fabulosus sit, sequitur & ædificationem & notationem ejusdem farinæ esse: Præsertim cum Henrici II. tempore Urbs nondum in rerum natura fuerit, sed ab illo demum Archiepiscopo Hamburgensi licentia concessa sit.*

CAP. V.

DE QVATVOR EMPORIIS SIVE COMputatoriis *Hansæ Teutonicæ.*

CUm manifestum omninò sit, obtinuisse Hanseaticos etiam â peregrinis Regibus & Principibus, pro commodiori distributione mercium, diversis in locis jus institorium cum amplissimis immunitatibus & facultate extruendarum ædium sive aularum, operæ pretium erit, de quatuor Emporiis rem paulò exactius proponere.

Primum Emporium Hansæ Teutonicæ est Londin in Anglia, cui Henricus III. insignia privilegia concessit, quæ â subsequentibus Regibus quatuordecim confirmata sunt. Idem ille per diploma anno 1268. exaratum, quod ex Archivo inclytæ

Reipublicæ nuper edidit Clariss: Lambecius *lib. 2. Rerum Hamburg. num. 383.* Hamburgensibus dedit libertatem habendi peculiarem suam Hansam per totum Regnum Angliæ in perpetuum. Erant Hanseatici immunes ab oneribus reliquorum subditorum, & pro mercibus importatis atque exportatis, vectigalis loco, centesimam duntaxat & ejus dodrantem solvebant: Ex veteri instituto autem tenebantur belli tempore tueri & defendere Londini portam Episcopalem. Habent ibi publicam domum Guildehallam Teutonicorum, *Stapelhoff sive Staelhoff* dictam, in qua hodieque, sed imminutis privilegiis subsistunt mercatores Lubecenses, Hamburgenses, Dantiscani, Hansæ nomine Lanæ præcipua negotiatio fuit, quæ pro panno conficiendo mittebatur in Belgium, sed cum Angliæ Reges animadverterent, subditorum suorum commodis, per hanc societatem, non parum decedere, pro tollendis antiquis immunitatibus, alia atq; alia in medium prolata sunt, tandemque sub Eduardo VI. â Parlamento Londinensi anno 1551. decisum, Angliæ Reges non amplius iis teneri. Ex hoc principio auctum fuit vetus telonium, atque idem fere exactum ab Osterlingis, quod ab Anglis. Acriter hîc sese opposuerunt Hanseatici, donec tandem â succedente Maria anno 1553. pristina jura atque immunitates recuperarent. Non diu stetit hæc concordia, sed post annum unum atque alterum, exortis novis litibus, res ad Elisabetham Reginam translata est, quæ nullis rationibus, etiam ab ipso Imperatore Rudolpho II. adductis moveri potuit, ut Hanseatica privilegia salva atque integra relinqueret, ideoque ex communi consensu Statuum, in Comitiis Augustanis anni 1582. illustrissimo Frisæ Orientalis Comiti, per publicum Decretum injunctum fuit, ut Mercatores Anglicanos vulgò *les marchants Adventuriers* propter instituta mono-

polia

polia Embdâ civitate ejiceret, qui deinde sua sponte, cum exercitus Hispanicus vicinam Provinciam Groningensem ingrederetur, Hamburgum migrarunt, ubi â Senatu certis conditionibus ad tempus recepti quidem, sed vicissim dimissi fuerunt, donec posteà, relictâ Stadâ, Hamburgũ reverterentur, ubi etiamnũ subsistunt, & ex panni mercatura maximum lucrum faciunt.

Excusat Elisabetham Cambdenus in Annalibus *Rerum Anglicarum part. 4. sub an: 1595.* testaturque quod illa Cæsari, per Christophorum Perkinsum, super querelis Hanseaticorum, ad hunc modum responderit: Privilegia illa propter abusum & alias rationabiles causas, negante Eduardo IV. authoritate Parlamenti, à qua nulla provocatio, refixa esse, utique temporibus non accommoda; concessa scilicet cum res mercatoria & nautica apud Anglos jaceret, ideoque eorum usum, regnante Maria omnino fuisse inhibitum. Reginam non quæsivisse omnimodam privilegiorum abolitionem, quod ex lege Parlamentoria jure poterat, sed primis regni annis alia nonnulla iis aliquandiu, ut temporum rationes tulerunt, indulsisse; donec ipsi Anglos, nec quidem præmonitos, Hamburgo nulla habita amicitię ratione, nulla ex causa exturbarunt: Posteà tamen statuisse easdem negotiandi rationes, quibus Angli utuntur cócedere: Illos vero omnino recusasse, nisi meliori jure uterentur. Cum nec alicubi consuetum nec ferendum, ut alienigenæ in earum rerum commercio, quæ cuique regioni peculiares, indigenis præferantur, quod ex illis privilegiis vendicant. Præterea Rempublicam consistere non posse, si non alia vectigalia, quam ante trecentos annos imposita, ab Hanseaticis nunc exsolvantur, privilegia in Reipublicæ detrimentum concessa admittantur, & justis de causis olim antiquata ad preces cujuspiam denuò revocentur.

Ut

Et pari tamen ferè jure cum Anglis essent, in Cæsareæ Majestatis gratiam subinde obtulisse, scilicet in solutione Vectigalium pro pannis hinc evectis & mercibus è Civitatibus Hanseaticis invehi solitis, non amplius persoluturos, quam naturales. Quod si vellent merces aliunde nimirùm ex Hispania & Belgio in Angliam invehere, licebit eis persolventibus unum denarium pro vectigali in qualibet libra minus quam alii exteri, pannis solummodo exceptis, quos non liceret Hanseaticis transportare in alia loca, nisi Hanseatica, ultra flumen Amasin & urbẽ Embdanam, versus Orientem & mare Balthicum. Permisisse etiam illis sedes suas Londini, & alibi in Anglia retinere ac honestâ disciplinâ gubernare societatem per Aldermannum suum, modo nihil fiat in præjudicium Majestatis Reginæ & legum Regni. Sperare itaque Mandatum Augustanum de Anglorum commerciis inhibendis, quod Hanseatici impetraverant, suspendendum esse, maximè, cum Imperii Ordines cognoscere non possint de privilegiis aut aliis quibuscunque ad jura regni Angliæ spectantibus, quod Regnum absolutissimum Superiorem agnoscit nullum.

Publicato in Germania Edicto Statuum adversus mercatores Anglicanos, ut Imperio excederent, non quievit Regina Elisabetha, sed viceversa Hanseaticis quoque mercaturâ & Angliæ Regno interdixit, quod ab eodem Cambdeno *part. 4. Annal. Rer. Angl. sub an. 1597.* annotatum reperio his verbis. *Hanseatici autem importunis apud Imperatorem efflagitationibus evicerunt, ut Edicto promulgato Angli mercatores è Societate, quam vocamus Adventureurs, omni negotiatione in Germania interdicerentur, eo quod suis legibus, & non Imperii in* Imperio *Mercaturam exercerent. Cum Regina Elisabetha per Joannem Wrothum apud* Imperatorem *& Stephanum Lesirium apud* Imperii *Principes, ut Edictum suspenderetur*

deretur, resque componeretur frustra egesset; Publicato Londini Programmate eodem die, quo Angli è Germania excedere jussi, omnibus Hanseaticis & mercatura & regno Angliæ interdixit, jussitque Prætorem Londinensem Hanseaticos possessione ædium, quas in urbe habuerunt, & Stiliard vocant, movere. Occasionem hujus dissidii inter Anglos & Hanseaticos exponit Chytræus *in Saxonia lib. 23.* cujus integra verba, cum negotium hoc summopere illustrent, non pigebit adducere. Ab eo tempore (nempe post Transactionem inter Eduardum IV. Angliæ Regem & Hanseaticos Trajecti ad Rhenū, anno 1474. initam) annos circiter octoginta sub Richardo III. Henrico VII. & VIII. & Eduardo VI. immunitates in Anglia suas Germani retinuerunt, donec Dantiscani quidā Mercatores, temerario usu, vectigal Regi Angliç â Polonis aliquot mercatoribus pendendum, averterunt. Cum enim Teutonicæ Hansæ socii vix dimidium vectigalis, quod cæteri pendunt, de mercibus evehendis numerarent, Dantiscani illi, de Polonorum mercibus in naves suas impositis suo nomine solverunt; Atque ita Regem bona vectigalis parte defraudarunt. Londinenses igitur mercatores Angli, jam dudum societati Germanorum Hansicæ libertatem illam invidentes, & nihil præter justā occasionem & prætextum eam labefactandi & evertendi captantes, Decretum â Parlamento impetrarunt, quo Germanos omnia Emporii illius jura, immunitates, Residentiam & privilegia amisisse, iisque perpetuo privatos esse, nec unquam recuperare debere pronunciarunt: Cum autem durior & iniquior sententia videretur, ob unius & alterius delictum, totam societatem adeo graviter plecti; Eduardus VI. adhuc superstes, rogatu Civitatum, controversiæ totius amicè componendæ causa, diem indixit: Ad quem Joannes â Werden, Eques & consul Dantisca-

 nus,

nus, Hermannus Falco Consul Lubecensis, Albertus Hackman Consul Hamburgensis, ingenti pompa & sumptu Londinum profecti sunt, ubi circa illorum adventum immatura morte sublato Eduardo, Maria Soror Regnum excipiens, posteaquam multis mensibus cum Civitatum Legatis, communicatum tractatumque fuisset. Tandem ita rem omnem componi clementissime passa est, ut Hansæ fœderatis Civitatibus ad formam antiquorum Privilegiorum, initorumque contractuum, omnis commerciorum ratio, ita liberè eoque prorsus modo constaret, quomodo iis Henrici septimi avi, atque Henrici octavi Patris temporibus usi, gavisique unquam fuissent. Qua de re voluntatem suam non tantum Regio diplomate clementissime declaravit, sed quam plurimis etiam singularibus mandatis ad præcipuorum portuum Regni sui Præfectos, decretis Hansæ mercatores pristinis suis juribus restitui pręcepit. Etsi verò vix anno vertente Adventuriis seu Londinensibus, Anglis mercatoribus rursum querelas de Hansicorum in Belgio mercatu moventibus, novi Conventus occasio subministrata fuit: Quas quidem querelas Philippus Hispaniarum Rex, pro suo in Hansæ Societatem clementissimo animo interveniens componere studuit; Quia tamen earundem finiendarū diem Maria Regina sua etiam morte ante vertit, eamq; ob causam illa querelarum capita in exordium Regni Elisabethæ rejecta fuerunt; sub quo post multorum mensium frequentes inter Reginæ Commissarios & Hansæ Legatos habitas Communicationes utrinque re infecta discessum est.

Vitio non caret Alberici Gentilis sententia, qui *lib.3.cap.16. de jure belli* existimat, liberum fuisse Angliæ Regibus, pro ratione temporum & Reipublicæ commodo privilegia olim indulta revocare & rescindere vicissim, cum iniquum videatur peregrinos

melioris

melioris conditionis esse, quam subditos: *Et ergò,* inquit, *hic quoque contendo, non fieri Hanseaticis Civitatibus injuriam, si quæ illis tributa sunt privilegia ab Anglis Regibus imminuuntur nunc aliquantum, cum nec vicini possint oneroso prosus concessa titulo, & in gravissimum ipsorum Anglorum Mercatorum exeant damnum, adeoque & iniquitatem, dum exteros meliori facerent conditione, quam subditos. Disceditur propter magnum damnum, quod alii & Alciatus. Atque magnum damnum quod sit, etiam alii explicant. Magna hic æquitas videtur Anglorum, qui æquale sibi & Hanseaticis petunt jus; Dum alii Exteri ferunt multo iniquius, sed & de hoc Angli viderint jure Consulti. Dictum vetus & in ore etiam puerorũ, rectè data non adimi. Hæc igitur sit & Regula. At videndũ rectè data (quod ut dicam unum adhuc) negare de Privilegiis Hanseaticarum Angli possunt & quoniã Privilegia illa sunt in successiva datione, etiã addet Angli posse se negare, nunc dari rectè, etsi data rectè negare nõ possent:* Fortior & solidior hîc subest ratio, quã dissimulare minimè debebat Gentilis. Non habent Hanseatici Privilegia sua per merã Regum gratiã & munificentiam, sed quicquid juris ibi obtinuerunt, hoc ipsis maximam partẽ vi pactorũ & conventionum publicarũ pro pręstitis officiis & factis impensis concessum est, cum Henrico III. Eduardis aliisq; in bello opem tulissent. Adstipulatur nobis inter alios Petrus Bertius *lib-3. rer. Germ. cap. 4 Vetustissima Societatis Hanseaticæ memoria est in Diplomate Henrici III. Anglorũ Regis dato an. 1206. sed talis ut haud obscurè altiorem indicet originem. In eo dicuntur Hanseaticæ Civitates Regi naves complures ac belli auxilia administrasse eâ lege, ut si quæ caperentur, frangerentur, perierentve, eas Rex adnumeratâ pecuniâ solveret, cessit ea res tam feliciter, ut Rex Hanseaticarum operâ, superatis hostibus, victoriam re-*

portârit, sed cum reditum parant, tam immanis Classem afflixit tempestas, ut plæræque naves mersæ undis perierint. Rex autem cum solvendo non esset, videns debitum ex mora crescere, ita cum Teutonicis mercatoribus transegit, ut ipsis concederet in suo Regno facultatem mercaturam exercendi importandi & exportandi merces solutâ tantum centesima parte pro vectigali. Atque hoc ille privilegium irrevocabile sibi posterisque esse voluit.

Secundum fuit Brugis in Flandriæ comitatu, quod anno 1262. innotuit, & circa annum 1488. vicissim eversum est, cum capto Maximiliano Romanorum Rege & præcipuis ipsius ministris interemptis â Friderico Patre, portus Civitatis obstrueretur. Hac occasione discedentes Hanseatici ab Antverpiensibus recepti fuerunt, impetratis maximis privilegiis, ubi hodieq; conspicitur Domus Osterlingica superba quidem & magnificè extructa, sed â tempore belli Hispanici cum Batavis neglecta propemodum. Audiamus Chytræum *in Saxonia lib. 23.* Mercatores igitur Hanseatici Antverpiam deinceps petierunt, & cum Senatu Antverpiensi, de Residentia & privilegiis, quæ Brugis antè habuerunt Antverpiam transferendis, jam inde ab anno millesimo quingentesimo decimo sexto agere cæperunt, donec tandem Antverpienses ipsi, per Jacobum Masium ad Civitates Hanseaticas Lubecæ congregatas missum, causam urserunt. Quare exeunte anno 1544 Civitatum Lubecæ, Coloniæ, Hamburgi Daventriæ Legati Antverpiam profecti de conditionibus cum Senatu transegerunt; Ac si confirmationem veterum in Brabantia privilegiorum, â Johanne & Antonio Ducibus Brabantiæ, olim civitatibus datorum, Antverpienses, ut receperant, â Carolo V. impetrarent. Dum intra biennium proximum residentiæ initium ferè promittebant. Mox autem secuto bello

Germa-

Germanico, & Gallicis tumultibus diurnis, denuò aliquot annorum mora intervenit, donec tandem privilegiorum Hansæ in Brabantia olim â Johanne II. duce Lotharingiæ, Brabantiæ & Lützelburgi primum anno Christi millesimo, trecentesimo decimo quinto datorum, & per Antonium Ducem Brabantiæ millesimo quadrigentesimo nono renovatorum confirmatio â Philippo Rege Hispaniæ impetrata, & diploma ad Margretham Parmensem, Belgici Gubernatricem, missum & Antverpiæ promulgatum, & Civitatibus Hansæ flagitantibus, in Conventu Lubecensi, anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo exhibitum est. Sequenti igitur anno de Domo Mercatorum Hansæ privilegiata, in qua propriam jurisdictionem senatus Mercatorum haberet, Antverpiæ instituenda cum Senatu transactum, & promissis Senatui Antverpiensi ab Hansæ societate sexaginta millibus Carolorum, Domus Osterlingica ædificata & jure hæreditario Hansæ immunis, ab omnibus accisis & exactionibus impositis, & propriam in omnibus causis, excessibus & delictis non Capitalibus jurisdictionem habens, solennibus literis & ritibus tradita est.

Tertium Emporium fuit Novogardiæ Russorum, quod per annos trecentos â mercatoribus Hansæ frequentatum, sed anno 1494. sub Joanne Magno Moscoviæ Duce, Basilii Patre, vicissim derelictum est, translata

 est,

commerciorum ſede Revaliam Livonorum & inde poſt annos quaſi quinquaginta, Nervam Ruſſorum, ubi â Demetrio Duce Lubecenſes Hanſæ nomine, anno 1620. impetrarunt licentiam extruendarum ædium, ſub certis privilegiis, ſed bello Suecico aliisque impedimentis intervenientibus, Societatis negotia in his partibus nondum reſtituta ſunt.

Quartum eſt Bergis in Norwegia, quod etſi veteris Emporii veſtigia inprimis retineat ſæpè tamen â bellis trium Regnorum Septentrionalium plurimum detrimenti perpeſſum eſt. Commorantur ibi in certa urbis parte, conjunctis ferè domiciliis, mercatores Lubecenſes, Bremenſes, Hamburgenſes, Dantiſcani, aliique, quorum officinas, pro recondendis mercibus & piſcibus, præcipuè vento atque frigore induratis, peculiari nomine *Stavas* appellant incolæ. Hodiè poſtquam Danica Nobilitas, ſub Chriſtiano III. (neque enim Friderici II. ætate hoc tentatum eſt, ut vult Thuanus *lib 51. Hiſt.*) contra Regum privilegia, negotiationibus ſeſe immiſcuit, Societati Hanſeaticæ multum deceſſit. Notat hoc ipſum Chytræus *in Saxon. lib. 23.* Itaque crebro ad Regem Chriſtianum, Bremenſibus inprimis ac Daventrienſibus negotium urgentibus, miſſi Legati, privilegia per priores Daniæ Reges Civitatibus data violari, graviſſimè queſti ſunt. Tandem verò Rex, ſe privilegia & Libertates quas â ſuis Anteceſſoribus civitates haberent, ſervare & confirmare velle reſpondit, modo exempla privilegiorum ïpſi authentica â Civitatibus exhiberentur. Nam in bello Danico anni milleſimi quingenteſimi viceſimi tertii, plurimas ex Archivis ſuis literas & monumenta, per Regem Chriſtianum II. avecta & amiſſa eſſe. Etſi autem Civitates, quæ omnes ſuas conſuetudines &

Liber-

Libertates, in quarum poſſeſſione tranquilla tot annos fuiſſent, retinere cupiebant, in vitæ deſcripta privilegia Regi tradebant: Tandem tamen in Conventu Lubecenſi literarum à Daniæ & Suecicæ Regibus Hanſicæ Societati datarum exempla prælecta & ſequenti anno per Legatos Daniæ Regi miſſa ſunt. Qui confirmationem, ut civitates petebant, tum quidem diſtulit. Cumque multa civitates, contra ſcriptorum privilegiorum tenorem, Jura & Libertates ſibi in Regnis ſuis vendicare, poſtea reſpondiſſet: Non modo Nobilitatis Danicæ Navigationes non inhibuit: Verum etiam Opificum Collegia, quæ mercatores Bergæ ſuis domiciliis adjuncta communi ſecum libertate frui patiebantur, abolevit.

In Londinenſi & Bergenſi Emporiis (idem olim in reliquis duobus uſitatum fuit) reſident Miniſtri Hanſeatici, qui de litibus Mercatorum cognoſcunt, majoris autem momenti negotia atque illa inprimis, quæ jura & privilegia Societatis concernunt, tenentur certis temporibus, directorio Lubecenſi denuntiant. Bertius lib. 3. Rerum Germ. cap. 4. *Collegio præerat in ſingulis Vrbibus* (Emporiis) *Præfectus ſenior, quem alii Conſulem, ipſi Aldermannum vocabant. Is cum Aſſeſſoribus conſtituebat Senatum Mercatorum, habebatque ſibi adjunctum Secretarium, Quæſtorem, Archymagirum, aliosque neceſſariorum munerum Adminiſtratores, qui cum Lubecenſi Senatu communicabat; res pleraſque ac controverſias diu judicabat, nec dabatur ab ipſorum ſententia, niſi ad alias Civitates Hanſeaticas, appellatio.* In Gallia quoq; diverſi Reges Hanſeaticis mercatoribus maxima privilegia conceſſerunt, quę poſt Ludovicum XI. anno 1464. 1483. Carolum VIII. an. 1489. Franciſcum I. ano 1536. Henricum II. anno 1552. & Henricum IV. anno 1604. feliciſſimus Ludovicus XIV. anno 1655. confirmavit ſicut ap-

paret

paret ex ſpeciali Tractatu, circa negotia maritima dictæ Regiæ Majeſtatis, cum Civitatibus Societatis Hanſeaticæ, qui inter documenta publica extat.

C A P. VI.

DE COMITIIS HANSÆ TEVTONICÆ.

CUm ampliſſimæ hujus Societatis negotia, ſine publicis cõventibus, expediri nequeant, Comitia nõnunquam indicenda ſunt, quæ ex veteri inſtituto habentur Lubecæ, ubi Hanſeatici ſingulis tribus annis convenire & de rebus ad fœdus ſpectantibus, in medium conſulere conſueverunt. Sed neque loci, neque temporis ratio ſemper eadem eſt. Nam ſi bellum, peſtis, vel alia gravis cauſa hoc impediat, tum alibi, quàm Lubecæ & tardius etiam conventus celebrantur, quales Coloniæ Agrippinæ, Hamburgi, Roſtochii, Stralesundii & Luneburgi inprimis habitos fuiſſe conſtat. Raro autem Socii extra Civitatẽ Hanſeaticã convenerunt, quod, ſi rectè memini, binâ voce factum, ſcilicet anno 1491. cum Antverpiæ, tanquam in loco Anglis & Flandris propinquiori, de componendis quibusdam controverſiis ageretur. Krantzius *Wand. lib. 14. cap. 16. Erat iam anus* 1491. *cum inter Anglicos & Oratores Urbium Conſulares de Lubeca, Hamburgo, Colonia, Gedano, omniũ de*

de communione Hansæ Teutonicæ nominibus ageretur in Antverpia. Et anno 1605. Walsradii in Ducatu Luneburgico, cum obsidio Brunsuicensium instaret, Hujusmodi Comitia sunt vel Universalia totius Corporis Hanseatici, quæ authoritate & consensu reliquarum quinque civitatum Wandalicarum à Lubecensibus indicuntur; vel Particularia quorundam Membrorum, qualis est Conventus Wandalicus sex Civitatum, si pro re nata necesse non sit, ut universa Societas Conveniat; Et Prædeliberatorius unius vel alterius Circuli, seu Quartirii, cum publica negotia fœderis prædeliberando in quatuor Quartiriis examinantur, ut Civitatum Legati tanto expeditius deinde Lubecam ad Comitia Universalia proficisci possint. In Diætis Universalibus singulæ Civitates votum habent, quæ solvunt usitatas Contributiones, cum iterata, ut vocant *Quotisatione*, seu repetitis portionibus, si opus sit: Illæ vero â quibus præter annuam pensionem, nihil exigitur, atque ideo Annuistæ dicuntur, mediatè comparent, quando fœdus renovandum est, quod singulis decem annis fieri consuevit. Tum enim unaquæq; Metropolis sui, Destrictus seu Quartirii Civitates convocat, in quo Conventu etiam Annuistæ habent suffragium. In Comitiis præsentes Legati ad Consultationes publicas per Ministrum Civitatis Lubecensis invitantur, quibus Syndicus Hansæ, in primo congressu, Directorii nomine, agit gratias & capita deliberanda proponit. Totum Corpus in duo scamma divisum est. In dextro, Lubecenses primi votum exponunt, sequuntur Colonia Agrippina & Brema, cum reliquis Civitatibus Saxonicis, Westphalicis, Pomeranicis aliisque. In sinistro incipiunt Hamburgenses, pergit Luneburgum, cum Civitatibus Clivicis, Marchicis & Belgicis. In literis publicis ad Cæsarem, ad Reges aliosque Status utuntur Hanseatici

tici Sigillo Reipubl. Lubecensis; neque puto extare ullum aliquot documentum fœderatarum Civitatum, in quo alia subsignatio reperiatur. Quicquid in Comitiis communiter placuit, illud ipsum in peculiarem Recessum redigitur, qui Legatis ante abitum exhiberi solet, plerunque sub hac clausula: *Datum in Cæsariâ, liberâ & Sacri Imperii Civitate Lubecâ, sub sigillo Vrbis*, ad quod omnes pro *hoc tempore nos confitemur*. Et postea: *Unitæ Civitates Hansæ Teutonicæ*. Huc pertinent verba Krantzii *Wandal. lib. 10. cap. 27. Quod autem ad negotiationes & mercaturas spectat, multa constituerunt salutaria anno nempe 1418. in Conventu Lubecensi de navibus, deque navigationibus & negotiationibus, de communicandis privilegiis aut denegandis; deque aliis rebus, quæ intercurrunt negotiis Mercatorum. Eaque diligenter sunt redacta in scripturam: Cuique in suam Civitatem datur Exemplum Constitutionum*, Recessus *ipsi vocant*. Inter posteriores, (si illum de anno 1604. excipiamus) maximè celebris est Recessus anni 1579 cujus præcipua capita, ex formula renovatæ Confœderationis, recenset Chytræus *in Saxon. lib. 24.* hoc ordine. Civitates Hansicæ Romano Imperio, Cæsari & suis singulæ Principibus legitimam & debitam obedientiam præstent, inter se mutuam benevolentiam & fidem servent, alii aliarum commoda promoveant, damna avertant ac Consilio ac ope se mutuo juvent, pacem Religionis & politicam in Imperio sancitam, firmiter tueatur, Commercia in Emporiis, juxta Recessibus, Ordinationes & Statuta Societatis Hansæ, exerceant, Contributiones in Conventibus Hansæ communi consensu indictas tempestivè pendant, Conventus Hansæ Senatus Urbis Lubecæ & cæterarum Wandalicarum, literis continentibus capita negotio-

gotiorum, de quibus deliberandum est, indicat, easque Metropolibus Coloniæ, Brunsvigæ, Dantisco maturè mittat, ut de suarum etiam Diœcesium negotiis, si quid in literis Indictionum monendum est, tempestivè inseri posset, vocati ad diem constitutam compareant, non comparentes vel tardius accedentes, juxta Recessum anni quinquagesimi sexti puniantur. Controversiæ Civitatum, juxta formam in hoc conventu præscriptam, amicè & jure componantur, nemo ex Civitatibus Hansæ, propter aliena debita, arresto in his Urbibus detineatur, vias publicas suis Urbibus vicinas singulæ tutas servent, captos in itinere ad Comitia euntes Civitatum Legatos communi sumptu Civitates liberent. Si Civitas aliqua injustè & violenter oppressa vel obsessa fuerit, fœderatæ urbes se ad causam, ex æquo & bono componendam, offerent, sin violenti oppressores, quantum poterunt, rebus ad defensionem necessariis juvabunt, Civilibus dissidiis turbata Republica & Senatu per cives in ordinem redacto, Legatos illius Reipublicæ ad Communes deliberationes Hansæ non admittent, sed cives hortabuntur, ut pristinam authoritatem Senatui restituant, non obtemperantes ex Hansæ Societate excludent, seditiosos nunquam tolerabunt. Dissidia inter Senatus & Cives, vicinæ civitates amicè aut jure component. Proscriptos ex aliis Civitatibus non recipient, neque hæc confœderatio aliis conjunctionibus quibuscunque huic non repugnantibus non derogabit. Omnes præteritæ offensiones, perpetua oblivione deleantur.

Cæterũ Hansæ Teutonicæ postrema Comitia Universalia an. 1628 mense Julio, Lubecę habita sunt, â quo tempore Lubecẽses,

Bremenſes, Hamburgenſes ex ſpeciali mandato atque Authoritate Sociorum procurant communia negotia fœderis, donec hâc de re aliter diſponatur, non tantum in Comitiis cæterisque Imperii Conventibus publicis, ſed alibi quoque, quod ipſum ex proximis Legationibus ad Cæſarem, ad exteros Reges, Principes & Status manifeſtum eſt, ideoque anno 1647. die 1. Septembris. Monaſterii VVeſtphalorum à Legatis Regis Catholici & Deputatis ſive Plenipotentiariis trium prædictarum Civitatum Tractatus commercii Hiſpanici, anno 1607. Madriti initus, Hanſeaticorum nomine renovatus eſt, quem anno ſequenti die 26. Januarii Philippus IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex clementiſſimè confirmavit.

C A P. VII.

DE PRÆROGATIVA LUBECENSIUM in Societate Hanſeatica.

CUm Lubeca libera & potens Imperii Civitas mari Balthico maximè vicina, & à reliquis ſociis, non uſque adeo, remota ſit, commodum viſum eſt Collegio Hanſeatico, ab aliquot retrò ſeculis, huic laudatiſſimæ Urbi directorium, ſive ſummam rerum gerendarum committere, ideoque Imperatoris, Regum aliorumque Statuum Epiſtolæ ad Nobiliſſimum & Ampliſſimum Senatum hujus Civitatis diriguntur, qui reſpondet

ſpondet

pondet Hansæ nomine velle se ea, quæ denunciata sunt, confœderatis proponere, & postea sufficienter rescribere. Itaque si res celeris expeditionis sit, vel non videatur esse tanti momenti, ut universa Societas convocetur, tum à vicinis urbibus. V Vandalicis hodiè ex dispositione Recessus anni 1628. à Bremensibus & Hamburgensibus, tanquam Plenipotentiariis, petunt Consilium. Quicquid in Londinensi & Bergensi Emporiis extra Germaniam, vel in Consulatu apud Hispanos alibique contingit, illud pariter Senatui huic significandũ est, qui procurat, ne Societas damno aliquo afficiatur. Iidem Lubecenses mittunt Legatos publicâ fide Societatis, quandocunque necesse est, ita tamen, ut pro re nata, reliquarum Civitatum Ministri non excludantur. Sic soli Hamburgenses, autore Joanne Seldeno *lib. 2. maris clausi cap. 20.* an. 1598. suo & cæterorum Hanseaticorum nomine ab Elisabetha Regina, flagrante inter eam & Hispanum bello, per Oratorem suum Sebastianum à Bergen, petierunt liberam in Lusitaniam & Hispaniam profectionem.

Est in eadem Civitate Lubecensi præter Ærarium Commune etiam Archivum Hansæ Orientalis; ea vero Documenta quæ Coloniæ Agrippinæ asservantur, respiciunt solummodo negotia istius Circuli seu Quartirii.

CAP. VIII.

DE CONTRIBUTIONIBUS ET COLLECTIS *Civitatum Hanseaticarum.*

PRo deponendis contributionibus & subsidiis publicis habet Hansa Teutonica Ærarium suum, ut diximus Lubecæ; Sed & hic diversa Civitatum conditio est. Non nullæ certam pecuniam solvunt quotannis directorio & postea ab iteratis contributionibus immunes atq; exemptæ peculiari nomine *Annuistæ* appellantur. Talis est Stavera Westfrisiæ civitas, quæ an. 1604. in Conventu Lubecensi obtinuit, ut singulis annis, Ærario saltem inferret certam summam, absque augmento. Pleræque alię ordinariæ Contrbutioni sese subjecerunt, quæ summa si pro re nata & incidentibus negotiis non sufficiat, ex recepta consuetudine augeri solet per *Quotisationem*, ut vocant simplam, duplam, triplam & amplius. Accedunt mulctarum compendia ex delictis Sociorum adversus Statuta & Recessus Communes, quibus, ad sublevandos sumptus publicos, utuntur, uti de aliis rediti-bus jam nihil dicamus. Enimvero extra Societatē Imperatores Romano Germanici per literas & Commissarios jam ab anno 1542. pro bellis Turcicis à singulis Civitatibus, notante Klockio *de Contrib. cap. 14. Sect. 3. num. 24.* subsidia & contributiones exegerunt, sicut apparet ex aliis atque aliis Imperii Constitutionibus, quo casu cum liberis Nobilibus Sueviæ, Franconiæ & ad tractū Rheni habitantibus conjunguntur. Superiori seculo huic rei sese opposuerunt non nulli Germaniæ Principes, ex capite violatæ Superioritatis, illorum autem objectiones tanti momenti habitæ non sunt, ut propterea hæc collectandi ratio prætermissa fuerit.

CIVITA-

CIVITATUM HANSEATICARUM

Privilegia & Foedera quædam aliaque documenta publica.

SERIES ACTORUM.

1. *Catalogus Serenissimorum Angliæ Regum XIV. qui Societatis Hanseaticæ privilegia confirmarunt.*
2. *Privilegium Henrici III. Angliæ Regis, Societati Hanseaticæ die 13. Junii, anno 1260. concessum.*
3. *Ejusdem Privilegium anni 1268. quo* Hamburgensibus *dedit facultatem habendi* Hansam *in perpetuum.*
4. *Decretum Augustanum Elisabethæ Reginæ Angliæ Legato, die 4. Septemb. anno 1582. exhibitum.*
5. *Literæ Elisabethæ Reginæ Angliæ ad Rudolfum Cæsarem exaratæ 10. Kal. Maii an. 1583. pro Mercatoribus Anglicanis in* Germania *subsistentibus adversus* Hanseaticos.
6. *Responsum Rudolfi Imperatoris ad præcedentes literas Reginæ Elisabethæ ex Arce Ebersdorfiana die 7. Junii. an. 1583.*
7. *Apologeticus* Hansæ Teutonicæ *anno 1609 Lubecæ publico nomine editus adversus Criminationes illorum, qui Societatem hanc Conspirationis accusaverant, nunc primum in Latinum sermonem conversus.*
8. *Formula Fœderis illustr. Belgii Ordinum cum Bremensibus &* Hamburgensibus *anno 1645. die 4. Augusti initi.*
9. *Receptio Lubecensium in antecedens Fœdus ratione Travæ & Oceani juxta articulum IX. anno 1646. die 25. Octobris.*
10. *Tractatus super negotiis maritimis inter Ludovicum XIV. Galliarum Regem Christianissimum & Civitates Hanseaticas anno 1655. mense Majo institutus & confirmatus.*

11. *Tra-*

11. *Tractatus Commercii Hispanici inter Legatos Regis Catholici & Deputatos Civitatum Hanseaticarum Monasterii Westfalorum die 1/11 Septembris anno 1647. initus & confirmatus.*

12 *Remonstratio argutiarum, quibus Informatores Fisci Anglicani Domum Teutonicam sive Stiliardanam, quæ Londini est, impugnare ausi sunt, ibidem nomine Societatis Hanseaticæ in Parlamento die 3. Augusti anno 1659. exhibita.*

13. *Formula inclusionis Civitatum Hanseaticarum in Pacem Hispano-Gallicam, Madriti die 22. Septembris anno 1660.*

14. *Epistola Caroli II. Magnæ Britanniæ Regis pro commerciis Reipubl. Bremensis die 18. Novemb. anno 1661.*

E Cata-

Catalogus Sereniss. Angliæ Regum XVI. qui Societatis Hanseaticæ privilegia confirmarunt.

Anno Christi.		Anno Regni.
1260.	Henricus III.	44.
1281.	Eduardus I.	9.
1303.	Idem.	31.
1311.	Eduardus II.	4.
1318.	Idem.	11.
1327.	Eduardus III.	1.
1354.	Idem.	28.
1361.	Idem.	35.
1378.	Richardus II.	1.
1381.	Idem.	4.
1392.	Idem.	15.
1400.	Henricus IV.	1.
1413.	Henricus V.	1.
1421.	Idem.	9.
1431.	Henricus VI.	9.
1437.	Idem.	15.
1460.	Eduardus IV.	1.
1461.	Eduardus V.	2.
1462.	Idem.	2.
1473.	Idem.	13.
1474.	Idem.	14.
	Richardus III.	
	Henricus VII.	1.
	Henricus VIII.	1.
	Eduardus VI.	1.
1554.	Maria.	1.

Privi-

Privilegium Henrici III. Angliæ Regis Societati Hanseaticæ concessum, die 15. Junii anno 1260.

HEnricus Dei gratia Angliæ Rex Dominus Hyberniæ & Dux Aquitaniæ, Omnibus ad quos præsentes literæ proveniunt Salutem. Sciatis, quod ad instantiam Serenissimi Principis Richardi Romanorum Regis Fratris Nostri, concedimus Mercatoribus Regni Allemaniæ, illis videlicet, qui habent domum in Civitate nostra London, quæ Guildehalla Teutonicorum nuncupatur, quod eos universos & singulos manutenebimus & servabimus per totum regnum nostrum in omnibus iisdem libertatibus & liberis consuetudinibus, quibus ipsi nostris & progenitorum nostrorum temporibus usi sunt & gavisi, ipsosque extra hujusmodi libertates & liberas consuetudines non trahemus, nec trahi aliquatenus permittemus. In cujus rei testimonium præsentes literas nostras patentes eis duximus concedendas, teste me ipso. Apud Westmonasterium XV. die Junii Anno Regni nostri XLIV. Christi MCCLX.

Ejusdem Privilegium anni 1268. quo Hamburgensibus dedit facultatem habendi Hansam.

HEnricus III. Dei gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, & Dux Aquitaniæ, omnibus Ballivis & fidelibus suis, ad quos præsentes literæ pervenerint Salutem.

Volentes ad instantiam Nobilis viri & Ducis Alberti Brunsvvickensis Mercatoribus ipsius Ducis de Hamborch gratiam facere specialem, concedimus iisdem Mercatoribus pro nobis & hæredibus nostris, quod ipsi habeant Hansam suam per seipsos per totum Regnum nostrũ in perpetuum, ita tamen, quod ipsi Mercatores faciant nobis & hæredibus nostris consuetudines inde debitas & consuetas. In cujus rei Testimonium has literas nostras iisdẽ Mercatoribus fieri fecimus patentes, teste me ipso apud Kenelvvorth octavo die Novembris, anno Regni nostri quinquagesimo primo.

Decretum Augustanum Elisabethæ Reginæ Angliæ Legato anno 1582. die 4. Sept: exhibitum.

SAcræ Cæsareæ Majestati, Domino nostro Clementissimo lecta sunt, quæ Legatus Serenissimæ Reginæ Angliæ adversus ea, quæ Hanseaticæ Societatis Civitates apud Majestatem Cæsaream atque Status Sac. Rom. Imperii de abrogatione immunitatum & privilegiorum hactenus in Regno Angliæ aliquot abhinc seculis obtentorum, nec non & de Monopoliis quorundam Mercatorum Anglicanorum conquestæ sunt, quæque dicti Imperii Proceres ea in re statuenda censuerunt, scripto proposuit & petivit. Et initio quidem optaret Sacra Cæsarea Majestas tot & tantarum querelarum, quę aliquot proximis abhinc annis, hanc ipsam ob causam tam â dictis, quam aliis plerisque Imperii Civitatibus, non solum ad ejus Majestatem Cęsaream, sed & dictam Reginam Serenissimam subinde delatę sunt, & quidem ipsiusmet tandem Cęsareę Majestatis repetitę intercessiones, eam rationem habitam esse, ut omninò necesse non fuerit, Sacri Imperii Status, aliis Reipub. negotiis alioqui satis occupatos, etiamnũ hac causa onerare, tum enim hoc ipsum, de quo dictus Nuntius conqueritur, potuisset declinari.

At quia dictę Civitates Jurium suorum & Privilegiorum antiquissimorum restitutionem nec ullis precibus, nec intercessione Cęsarea impetrare hactenus potuerunt, interim Anglicanis Mercatoribus in Germanię Oris quęstui, privato intentis, & in maximũ Reipublicæ Germanicæ detrimentum, novas subinde libertates sibi vindicantibus, factum tandem est, ut Status de remedio aliquo asserendi dictarum Civitatum Jura cogitare coacti sint; Quod si durius, quam par est Serenissimæ Reginæ videatur, perpendet Ejus Serenitas non levibus causis permotos, quin imo

invitos

invitos ad deliberationẽ eos aſcendiſſe. Sed ut ut ſit, cũ Cæſarea Majeſtas juxta ac Imperii Electores, Principes & Status nihil magis optent, quàm amicitiæ vicinitatisque vincula arctiſſima firmiſſimaque inter ipſos & Sereniſſimam Reginam Angliæ ſemper conſtare, nec dubitent, Sereniſſimam Reginam id æquè deſiderare, proinde Cæſarea Majeſtas, tàm nomine ſuo, quàm totius Romani Imperii, ejus Serenitatem magnoperè admonitam cupit, & quidem ex cauſis antehac ſæpius adductis, ejus Serenitatem omninò facturam ſperat, ut nimirum Hanſeaticis Privilegia & Immunitates à Prædeceſſoribus Regibus Angliæ magnis laboribus & ſumptibus obtenta reſtituantur, & impoſterum ſarta tecta conſerventur, nec nõ & ii, qui adverſus ea privatis lucris & Monopoliis ſtudent, revocentur. Quod ſi fiat (uti ſanè æquitas omninò fieri poſtulat) futurum viciſſim non dubitet, quia Status Imperii conſilium ſint mutaturi, adeoque Cæſaream Majeſtatem, una cum ipſis, ſæpè dictæ Sereniſſimæ Reginæ, Regnoque Angliæ, omnia familiaritatis & benevolentiæ ſtudia & officia exhibituros. Alioquin Serenitas ejus pro innata Prudentia facilè perſpicere poterit, Cæſaream Majeſtatem ad Inſtantiam & Requiſitionem Statuum Imperii, id quod ipſi & Officio Cæſareo incumbit, non poſſe omittere, quæ quidem ſæpè dicto Nuncio ad præpoſita reſponderi ejus Majeſtas voluit. Datum Auguſtæ Vindelicorum, die 27. Menſis Septembris Anno Chriſti 1582.

Literæ Elisabethæ Reginæ Angliæ ad Rudolphum Cæsarem exaratæ 10. Kal. Maii 1583. pro Mercatoribus Anglicanis in Germania subsistentibus adversus Hanseaticos.

Elisabetha Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Regina, Fidei defensatrix &c. Serenissimo Principi ac Domino Rudolpho II. &c. Fratri & Consanguineo nostro charissimo salutem & rerum felicissimarum incrementum,

Invictissime Cæsar, Frater & Consanguinee charissime, Refert Nobis Mandatarius noster Georgius Gilpinus à suo reditu à Comitiis Imperialibus modū, quem secuti sunt Ordines in causa Hansiana, Tota autem disceptatio suscepta & instituta à nobis videtur, de prætenso monopolio Societatis Adventurariæ, de prætensis autem Hansianis Privilegiis, verbum ferè nullum, saltem ad defensiones ab Oratore nostro propositas, parcius quam in tanta causa par erat, responsum. Subinde tamen ad decretum rescensum est contra Subditos nostros, cujus vi & sententia ex Universo Imperio ejiciuntur, in maturius Hansianæ Civitates in prætensa sua privilegia reponantur, vehemens sanè decretum & satis præceps, saltem nulla habita rationum nostrarum cognitione. Æquior tamen erat prior sententia, quæ legationem ad nos decrevit, sic enim in arduis causis & cum Principibus agi solet. Contrà autem, vicisse paucorum Mercatorum conspirationem, Nobilesque pertraxisse ad tantam maculam Majestati nostræ Regiæ inurendam non mediocriter miramur, & quo animo ferre debeamus, tacitis bonorum principum suffragiis judicandum relinquimus. Errant saltem Hansiani homines, si præcipiti suo Decreto cogi nos posse putant, ad ea concedenda, quæ in benevolentia nostra ponuntur, Illis verò debentur

bentur nullo Jure. Neque enim eæ ſumus, quæ cogi poſſumus, aut volumus, utrumque Nos proſcindant virulentis ſuis linguis, quas in Comitiis ſaltem & pleniori principum Conſeſſu frænare debuiſſent. Si prior ſententia placet, ut decretâ ad nos Legatione per Commiſſarios utrinque dandos res tractari definirique poſſent, Nos, quod noſtrarum partium eſt, faciemus, & cùm noſtros agunt, forum noſtrum ſequentur, haud quaquam nos ipſorũ. Quicquid enim obtendunt de Cæſareæ M.V. læſione, quæ vertitur quæſtio, nequaquam inter Majeſtatẽ V. eſt, ſed nobis cum paucis Mercatoribus inſtituitur, quos æquum ne ſit, ad quod velint, nos forum protrahere, præſertim actores cum ſint, Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ prudentiæ judicandum relinquimus. Quicquid ſit, certum deliberatumque habemus, extra Regnum noſtrum Commiſſarios noſtros non ablegare, ſuos ad nos mittant, quos velint, nullos refugimus, amiciſſimè accipientur benigniſſimeque audientur, quorumque rationes præponderabunt, in eorum ibimus ſententiam.

Interea, dum iſta parantur & fiunt, Cæſ. V. Majeſtatem rogamus, velit Mandatum ſuum revocare, Comitique Embdiano honeſto Principi & nobis amico C. V. M. autoritate cavere, ne quæ Subditis honeſta officia præſtat, illi damnoſa ſint ullo modo, Nos ſummi beneficii loco reponemus, & habebimus gratum. Hic autem, ne in incerto hæreremus, operæ precium fore putavimus, Nobilem hunc Wilhelmum Waad, plurimum Nobis acceptum, ad Cæſaream V. Majeſtatem ablegare, ſummoperè ab eâdem contendentes, velit ei reſponſum in ſcriptis ad has literas Noſtras dare, ut quid ſibi animi ſit, ad rem nobis faciendam in hac cauſa gratam plenius & brevius intelligamus: Quod tum atttentius expectamus.

mus. Deum O. M. precamur, velit Cæs. V. M. diutissimè salvam & incolumen conservare. Datæ è Regia Nostra Grenvici, 10. Cal. Maii Anno Christi 1583.

Responsum Rudolfi Imperatoris ad praecedentes literas Reginæ Elisabethæ ex Arce Ebersdorfiana die 7. Junii anno 1583.

RUdolfus &c. Ser. Principi, Dominæ Elisabethæ, Reginæ Angliæ & Franciæ, Domine Hyberniæ, sorori & Consanguineæ nostræ charissimæ, salutem, cum omnis boni incremento.

Serenissima Princeps, Soror & consanguinea Charissima, Nobilis ille VVilhelmus VVaad, quem Serenitas V. ad Nos ablegavit, Literas ejusdem reddidit, eaq;, quæ in mandatis habuit, diligenter exposuit, ad quæ quidē non gravatim modo responderemus, nisi causa hęc, (uti Serenitati V. antehac expositū est) pertineret ad omnes Status Imperii Germanici, quàm, sicut etiam ea, quę iterum Hanseatici de ademptis Privilegiis, nec non & injuria & Monopoliis Adventurariorum prolixe apud Nos conquesti sunt, Electoribus Sacri Imperii communicabimus, reque deliberatâ, postmodò quod æqum visum fuerit, Serenitati Vestræ respondebimus, quam interim prosperrimè semper valere exoptamus. Datum in Arce nostra Ebersdorfii, die 7. Junii, Anno 1583.

Apolo-

Apologeticus Hansæ Teutonicæ anno 1609. Lubecæ publico nomine editus adversus Criminationes illorum qui Societatem hanc Conspirationis accusaverant, nunc primum in Latinum sermonem conversus.

NOs Consules & Senatores unitarum Germaniæ Hanseaticarum Civitatum, præmissâ officiosissimâ salute, notum facimus omnibus. Quamvis non meminerimus, quod quenquam mortalium ad invidiam & odium provocaverimus, vel quod à prima origine nostri Collegii (quod, divinâ favente clementiâ, per annos quadringentos floruit) illicitis actionibus operam dederimus, aut suspectis consiliis unquam usi, limitesque honestæ & salutaris Confœderationis transgressi fuerimus, adeo quidem ut ad præsens usque tempus, neque Romani Imperatores, neque exteri Reges, aliique Principes & Status de nobis jure conqueri potuerint, nos tamen quotidiè certiores fieri, quod non nulli malè affecti, (quos tamen deceret prius perfectam rerum habere notitiam, quam de tot inclytis Civitatibus quicquam publici juris facere) aliique pro aucupanda singulari gratia, contra jura divina & humana, imprimis autem adversus S. Romani Imperii Constitutiones, Fœdus nostrum multis conviciis proscindere, atque hoc illicitam conspirationem atque factionem appellare, non erubescant. Hac falsissima accusatione effectum est, ut duo Germaniæ Principes ex præconcepto odio in præcipuas Societatis Civitates Collegii nostri Conventus & conclusa pro necessaria defensione Sociorum, in publicis Edictis die 12. Septembr & die 14. Octobr. admodum sinistrè explicent, quasi nulla justa de causa, aut necessitate urgente illicita fœdera sanciamus & periculosis motibus fenestram aperiamus. Addunt,

F quod

quod noſtra Societas ſit prohibita Confœderatio & Liga rerum novarum ſtudioſiſſima, quodque Nos nihil aliud agamus, quam ut Conventus minimè neceſſarios & ſuſpectos inſtituamus, decretisque pertinaciter inhæreamus; Imo quod contra S. Cæſareę Majeſtatis, Domini noſtri Clementiſſimi ſupremam authoritatem, adverſus Auream Bullam aliosque Receſſus, in contemptum Circuli inferioris Saxonicæ, ejusdemque Generalis & Adjunctorum, in Pacis publicæ violationem, præcipue verò ad excitandam conſpirationem & rebellionem Subditorum adverſus Magiſtratus ſuos, turbandosque Vicinos, belli Duces aliosque Officiales conſcribamus. Superfluum eſſe arbitramur (neque etiam propoſitum nobis eſt, antiquiſſimum & per orbem Chriſtianum notiſſimum Fœdus defendere) æmulis noſtris, de neceſſitate Conventuum & Decretorum, rationem reddere, ut verò injuriis & diffamationibus contradicamus, nemoque aliter, quam par eſt, de Conventibus noſtris judicet, minimè nobis ignotũ eſſe, profitemur, non tantùm ſupradictam Auream Bullam Caroli IV. Imperatoris anno 1356 promulgatam, ſed etiam alias Imperii Sanctiones, Fœdera & Conventicula illegitima ſub jactura & amiſſione privilegiorum, aliisque pœnis improbare & prohibere, certo autem ſcimus, neminem veritatis amantem confœderationem Hanſeaticam illuc poſſe referre.

Noſtrum Fœdus ante & poſt Auream Bullam glorioſiſſimi Imperatoris Caroli IV. (qui hoc ipſum confirmavit teſtantibus Hiſtoricis) ab Imperatoribus Romanis, ab Electoribus, Principibus, cæterisq; Statibus imò verò ab omnib. & ſingulis Regibus & Rebus publicis Chriſtianis, ſcilicet ab Hiſpaniæ, Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Norwegiæ, Poloniæ, Sueciæ Regibus, à Magnis

gnis Moscoviæ & Florentiæ Ducibus, ab Augustissima domo Austriaca & Burgundica pariterque Serenissimis Venetorum & Genuensium Rebus publicis, pro honesto, licito atque utili fuit habitum, multisque privilegiis atque immunitatibus exornatum; imo vero Imperatores Romani Domini nostri Clementissimi, maximè sollicìti fuerunt, ne Fœdus nostrum dissolveretur, sed ut totum Corpus cum omnibus & singulis Membris salvum atque integrum conservaretur. Ex hoc principio Imperator Carolus IV. an. 1377. pro Civitate Brunsuicensi, tunc temporis à Collegio nostro exclusa, ad Hansam scripsit clementissimè, quæ, rebus compositis, ad usum privilegiorum rediit. Eodem modo Albertus Krantzius & plures alii Historici referunt, cum imperante Friderico III. Colonia Agrippina Collegii Hanseatici Metropolis à Fœdere excluderetur, ejusq; restitutionem alia atq; alia obstacula impedirent, quod sacra Cæsarea Majestas accedente Archiepiscopo Hanseaticos, pro recipiendis Coloniensibus, cohortatus fuerit. Porro, cum anno 1562. inter Collegiũ nostrum & Rempubl. Bremensem exorta esset controversia, Gloriosissimi Imperatores Ferdinandus I. an. 1563. & Maximilianus II. an. 1565. reconciliationem Sociis suaserunt. Idem ille Maximilianus anno 1566. de dissidio Hanseaticarum Civitatum, inter se & periculo dissolutionis, certior factus, per literas Socias ad Concordiam & Pacem cohortatus, omnemque gratiam clementissimè pollicitus est. Idem quoq; fecerunt Civitates Imperiales superioris Germaniæ eodem anno, qui in Comitiis Augustanis Syndico Lubecensi in mandatis dederunt, ut ipsarum nomine Urbes Hanseaticas ad mutuam Concordiam disponeret. Præterea præcipui Romani Imperii Principes & Status, suo & subditorũ suorum nomine, arctissima Fœdera cum Collegio nostro inierunt,

 quod

quod inter alios fecit Serenissimus & Celsissimus Princeps Ericus, Dux Brunsuicensium & Lunæburgensium, qui pro suis Civitatibus quibusdam ad Societatem nostram pertinentibus anno 1566. ad Hansam misit Legatos, idque inprimis postulavit, ne Subditi ipsius in usu & perceptione veterum privilegiorum impedirentur. Anno 1572. Serenis. Bruns. & Luneburgensium Dux Julius, Lubecensibus & Dantisanis Fœdus obtulit. Anno 1579. Illustrissimus Frisiæ Orientalis Comes Etzardus, pro recipiendis Embdensibus, ad Collegium nostrum scripsit pariterque pollicitus est, permissurum se, ut Civitatis deputati ad Conventus Hanseaticos, quoties opus esset, sine ulteriori ipsius licentia & consensu proficiscerentur. In recenti etiamnum memoria est laudatissima sollicitudo & cura moderni Imperatoris Rudolfi, Domini nostri clementissimi, pro conservandis juribus Collegii nostri, dum non modo justissimas querelas sociorum adversus Anglicanos Mercatores audivit benignissimè, sed etiam præviis deliberationibus Statuum Imperii effecit, ut pro recuperandis privilegiis atque immunitatibus, pro restituendis bonis & navibus ablatis & denique pro tollendis Monopoliis an. 1597. die 1. Augusti decretum in Germania publicatum fuerit, quo Mercatores Adventurarii jubentur Imperio excedere, sed cum illi postea se excusarent, & ut executio Edicti suspenderetur, amicabilem compositionē offerrent, an. 1603. inter Reginam Elisabetham & Civitates Hanseaticas Bremæ Conventus institutus fuit, quorsum Sacra Cæsarea Majestas Commissarios & Consiliarios suos Clementissimè ablegavit. Hoc ipsum negotium autem, propter intervenientem mortem Reginæ, tunc temporis ad finem perductum non est. Enimverò, si Confœderatio nostra illicita atque illegitima esset, neque Imperatores Romani, cæteriq;

Electo-

Electores & Principes, neq; exteri Reges & Status Europæ ad Societatẽ & Conventus nostros amplissimas Legationes mississent, (anno namque 1598. in Conventu Lubecensi uno eodemq; tempore cum Cæsareo Regũ Hispaniç, Poloniæ & Sueciç Legati præsentes fuerũt atque sic de multis aliis Recessus Imperii de an. 1542. 1545. 1648 1555. 1557. 1566. 1576. 1582. & Collegii nostri acta testantur) multo minus deputatos nostros ad aulas suas ipsaque Comitia venire passi fuissent, quod ante paucos annos, à Sacra Cæsarea Majestate, à Regibus Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, Daniæ, Sueciæ *à* Magno Moscoviæ Duce & pluribus aliis factum est.

Ex his apparet, Societatem & Confœderationem nostram nõ cœpisse primum, multo minus ad excitandam & fovendam rebellionem Subditorum adversus Magistratum initam, quemadmodum æmuli nostri calumniantur; sed ab aliquot seculis ultra hominum memoriam salvam atque illæsam permansisse, neque tantum *à* vicinis Regibus verum etiam ab Imperatoribus Romano Germanicis, ab Electoribus & reliquis Statibus, pro licita Confœderatione, semper agnitam fuisse, Nosq; ad illius propagationem & conservationem ab iisdem clementissimè admonitos, imo etiam pro re nata in administratione justitiæ adjutos fuisse, adeo ut vel solius immemorialis temporis præscriptio, multo min⁹ tot seculorum decursus, qui omne juris impedimentũ

removet & plus quam pactum, privilegium, aut quævis legitima concessio operatur, pro Collegio militet & à modo dictis falsis imputationibus liberet. Et licet antiquissima Fœderis origo & nunquam interrupta illius conservatio nobis non patrocinetur, sed Fœdus novum esset, nihilominus æqui & justitiæ amantes fatebuntur, Societatem hanc licitam & illegitimam esse, cum, sicut supra ostendimus, Verissimum sit, nos alio non respicere, quam ut libertas commerciorum & pax publica conservetur, cujusmodi confœderationes â jure Naturali & Civili, ipsaq; Aurea Bulla approbantur. Jura namq; in Universum permittunt Colligationes, quæ fiunt ad aliquod bonum publicum, puta ad defensionem, quemadmodum hoc prolixe demonstrat Mynsingerus, quondã Cameræ Spirensis Assessor & Cancellarius Brunsuicensis *Cent. 6. observ. 2.* ubi inter alia commemorat Fœdus inter Episcopos Herbipolensem, Bambergensem, & Civitatẽ Noribergã initũ ex hac ratione pro licito judicatum fuisse. Huic opinioni adstipulantur verba Aureæ Bullæ, in quibus illegitima atque illicita Fœdera prohibentur duntaxat, Colligationes autem quæ fiunt pro conservanda pace publica diserte excipiuntur. Si opus esset, possent Cameralis judicii alia atque alia Rescripta in medium proferri, in quibus Societas nostra pro legitima Confœderatione declaratur. Absurdum omnino est, quod ab æmulis & adversariis nostris objicitur, Societatem nostram pertinere solummodo ad commercia, nullo modo autem ad defensionem ipsarum Urbiũ extendendam esse. Contrariũ verum est ex ipsa juris permissione Ut jã nihil dicamus de antiquis & recentiorib9, de domesticis & peregrinis autoribus, certe Paulus Jovius, Joan. Bodinus, Jac Augustus Thuanus, Albert Krantzius, David Chytræus Autor Thesauri Politici *part.* 3. multa referunt de Fœderibus

bus

bus & bellis à Majoribus nostris cum Regibus aliisque Principibus, sæpè etiam ex voluntate Imperatorum initis gestisque, quæ Syndicus noster in Historia Hanseatica, modo non fuisset impeditus per diversas Legationes in Sueciam, Belgium, Galliam & Hispaniam, percensere in mandatis habuit. Hac vice pauca quædam adducemus: Majores nostri anno 1363. cum Duce Megapolitano & Comite Holsatiæ fœdus inierunt, quod postea anno 1368. renovatum est, traditis Fœderatis Civitatibus aliquot Arcibus pro securitate. Simile Fœdus sancitum inter Reginam Norwegiæ, Nobilitatem Danicam & Civitates Hanseaticas adversus pyratas anno 1384. hac conditione, ut Arces & Castra occupata Hanseatici usque ad subsecutam refusionem expensarum retinerent. Anno proximo Margaretha Regina Daniæ & Norwegiæ cum Sueciæ Rege Alberto & Comite Holsatiæ Conventui Lubecensi interfuit, & habito consilio de negotiis maximi momenti, amicitia inter ipsam & Civitates anno 1399. & 1400, renovata, tandemque anno 1410. Speciale Fœdus à Regina, ejus filio & quinque Civitatibus Hanseaticis sancitum est, constitutis certis legibus de bonis naufragorum in Daniæ Regno. Porrò cum paulo ante Albertum Sueciæ Regem cum filio eadem Regina Margaretha captivum detineret, uterq; prava interpositione Hanseaticis Legatis traditus est, qui patrem usque ad subsecutam Transactionem Rostochium, filium autem Wismariam deduxerunt, quo eodem tempore Stockholmia Sueciæ Metropolis, Civitatum Hanseaticarum custodiæ commissa fuit. Anno sequenti 1398. Lunæburgum ope duarum Civitatum Collegii nostri ab obsidione ducum liberatum, tandemque factis induciis trium annorum, negotium hoc compositum fuit. Anno 1418. Sigismundus

mundus Imperator Hanſeaticis mandavit, ut exercitui ſuo, quem pro defenſione Maris Occidentalis in inferiorē Germaniam transmiſerat, auxiliares copias jungerent, Friſiosque ad ineundum Fœdus diſponerent. Eodem anno Civitates Hanſeaticæ, accedente opera quorundam Principum, gravè bellum inter Ericum, Daniæ, Sueciæ & Norvvegiæ Regem, & Henricum Ducem Slesvicenſem, itemque Henricum Comitem Holſatiæ hac conditione tentarunt componere, ut partem, quæ Mediatorum deciſionem & arbitriū nollet admittere, Principes & Fœderatæ Civitates armis ad æquas conditiones adigerent. Anno 1430. Sereniſſimus VVilhelmus, Dux Brunſuicenſium & Luneburgenſium pro cognato ſuo Marchione Miſnenſi â Majoribus noſtris auxilium petiit, & magno ſuo commodo impetravit. Anno 1456. Chriſtiernus Daniæ Rex Roſtochii præſens in Conventu Principum & Civitatum ab Hanſa petiit, ut pro componendo bello Deputatos ſuos ad Carolum Sueciæ Regem ablegarent.

Saxoniæ Hiſtorici veteres teſtantur, quod Haſſiæ Landgravius, cum anno 1461. Civitatem Eimbecam vellet obſidere, propter ſuppetias Majorum noſtrorum propoſitum ſuum mutaverit. Pariter quod anno ſequenti Civitates Hanſeaticæ cum Epiſcopo Hildeſienſi & Duce Bernhardo, adverſus Fridericum Ducem Brunſuicenſium & Lunæburgenſium ſeſe conjunxerit, &

quod ipsis hypothecæ loco Arx Moringensis pro damnis illatis concessa fuerit.

Imo verò cum anno 1466. inter Wilhelmum Seniorem, dictum victoriosum ejusque filios Wilhelmum & Fridericum Duces Brunsuicensium & Lunæburgensium & Civitates Hanseaticas, novi motus exorti fuissent, per Ioannem Archiepiscopum Magdeburgensem, Comitem Palatinum Rheni, Fridericum Marchionem Brandenburgensem, S. Romani Imperii Archicamerarium & Electorem Quedlinburgi anno 1467. in præsentia Henrici & Ottonis, Ducum Brunsuicensium & Lunæburgensium Friderici Comitis de Orlemund, Guntheri Comitis de Mansfeld, Vlrici Comitis de Rhenistein, Guntheri Comitis de Mülingen & Barby, Gottfridi Comitis de Holenlach & Domini de Ziegenhain, Henrici Domini de Gera & Eberstein, Gottschalki, Domini de Plesse; multorumque Legatorum, tam Principum, quàm Civitatum, partibus sufficienter auditis, & examinatis circumstantiis dissensiones sopitæ fuerunt, atque tum Hanseatici Arcem Moringensem pro stabilienda Pace Domino Electori Brand. tradiderunt, quemadmodum hoc plenius documenta super negotio isto confecta, & utrinque sigillis munita demonstrant. Anno 1468. bellum quadriennale inter Angliæ Reges & Majores nostros ope & cura Caroli Burgundiæ ducis, aliorumque Principum finitum, quæ Pacificatio ab Historicis Vltrajectina Concordia appellatur.

Anno 1436 Henricus, Episcopus Hildesiensis, Wilhelmus senior ejusque filii, Wilhelmus & Fridericus fratres, Duces Brunsuicensium & Lunæburgensium, Comes Spiegelbergensis suo communisque Nobilitatis Provinciæ Hombergensis nomine, Gottschalkus, Satrapa in Plessa nomine totius Nobilitatis Pro-

G vin-

vinciæ Gottingensis, Burchardus Satrapa in Watburg suo universæque Nobilitatis Episcopatus Hildesiensis Heinke Kniche, Eques, suo communisque Nobilitatis Provinciæ ultra Deissam & Leinam, Hermannus Högere suo communisque Nobilitatis Serenissimi Ducis Alberti nomine, cum civitatibus Hanseaticis ad Metropolin Brunsuicensem pertinentibus, fœdus ad viginti annos inierunt juxta Formulam confœderationis super hoc negotio exaratam.

In Annalibus Saxoniæ extat quod anno 1485. Bartholdus, Episcopus Hildesiensis, & Henricus Dux Brunsuicensium & Lunæburgensium cum Civitate Hildesia per biennium grave & difficile bellum gesserint, quodque Brunsuiga aliæque Civitates Hansæ Teutonicæ copiis, commeatu, aliisque rebus necessariis opem tulerint, donec sub finem anni sequentis dissensio composita fuit.

Circa idem tempus inter Galliæ Reges & Majores nostros bella & dissensiones exortæ sunt, quibus per interpositionem Daniæ & Scotiæ Regum finis impositus est.

Post paucos annos cùm Henricus senior & Henricus junior, Duces Brunsuicensium & Luneburgensium, Brunsuigam anno 1492. 1493. 1494. valido exercitu obsiderent, notat autor istius Historiæ Telamonius Ornatomontanus, quod Majores nostri Hildesiensibus injunxerint, ut Civitati Brunsuicensi, sumptibus Societatis, milite & commeatu asisterent, præstitum hoc feliciter & controversiæ ab Ernesto Archiepiscopo Magdeburgensi, Germaniæ Primate, Saxonię Duce, pariterque à Ioanne Marchione Brandeburgensi S. Rom. Imperii Archi-Camerario & Electore anno 1494. Brunsuigæ sopitæ fuerunt.

Anno 1525. Fridericus I. Daniæ Rex Civitatibus Hanseaticis

ticis Fœdus & amicitiam obtulit, quod eodem anno in Conventu Lubecensi à Magistro Ordinis Teutonici per Prussiam factum est.

Anno 1558. Laudatissimus Imperator Ferdinandus, cujus supra meminimus, Livoniam tunc temporis miserè vexatam Hanseaticis serio commendavit, & ut Magistro Ordinis pro viribus opem ferrent, clementissime injunxit. Anno 1581. Franciscus Dux Alanconius Christianissimi Regis Galliarum frater amicitiam Fœderatarum Civitatum expetiit, promisitque se daturum operam, ut tandem lites & controversiæ Hanseaticorum cum Angliæ Regibus finirentur.

Ex his aliisque rationibus, in hodiernum usque diem, præcipui & potentissimi Principes Europæ sibi proficuum, neque Statui atque authoritati suæ contrarium esse, arbitrati sunt, Nostram Societatem quibuscunque Transactionibus publicis inserere, Nosque in numerum Amicorum & Confœderatorum recipere, uti hoc ipsum ex Instrumentis Pacis inter Serenissimum Maximilianum, Archiducem Austriæ, tanquam electum Poloniæ Regem, & Status illius Regni Anno 1587. maxime verò ex Pacificatione inter Hispaniæ & Galliæ Reges An. 1598 itemq; inter Hispaniam & Angliam anno 1604. apparet.

Quæ cum ita se habeant, capere non possumus, qua de causa Nobis sociisq; nostris nuda conventio cum belli Duce aliisq; officialibus vitio verti queat, cum hoc novum non sit, sed à longo tempore usitatum. Facile probari potest, si opus esset, vel unam aliquam Civitatem nostri Collegii, pro securitate sua no tantum Comites & Nobiles, sed etiam Principes, in evẽtum belli pro ducibus constituisse, ut nihil dicamus de Imperii Romani cõstitutionibus, quę hujusmodi apparatũ permittũt, iu-

bentque ut ſinguli Electores Principes & Status ea ſemper in promptu habeant, quæ ad repellendos temerarios aggreſſores neceſſaria videbuntur, imo etiam ut vicinis laborantibus, pro re nata, opem ferre & viciſſim auxilia ab ipſis expectare poſſint, ſicut expreſſe diſpoſitum in Receſſibus de anno 1555. & 1564. Nihil repugnat quod vigore dictarum aliarumque Conſtitutionum certus modus Executionis pro conſervanda Pace publica præſcriptus ſit, ſiquidem ſupra dictus apparatus, primus gradus defenſionis eſt, qui merito debet præcedere, hic ſi non ſufficiat ad vim reprimendam, ad ſuppetias totius Circuli confugiendum, quod ſi hæ quoque impares fuerint, tum implorandum eſt auxilium trium, quatuor, quinque, vel omnium Circulorum imperii. In his ipſis Conſtitutionibus præſupponitur arma armis conſtringenda eſſe, & quod illis qui exercitatos milites non habent, liceat tales certis ſtipendiis ſibi conciliare, ut laborantibus præſto eſſe poſſint. Imo Imperator Dominus noſter Clementiſſimus & reliqui ſtatus propter periculoſa tēpora ſæpe remedio extraordinario uſi ſunt, & aliquando mille quingentos equites ad aliquot menſes, interdum mille ducentos ad aliquot annos conduxerunt, ut tanto commodius publica quies conſervari poſſet.

Tali modo confidimus, neminem perturbatis hiſce temporibus, ubi non tantum bellum ad fines Imperii metuitur, ſed manifeſtum quoque eſt, quosdam in

Im-

Imperio ad ſalutares conſtitutiones de Pace publica, & obſervanda Executione, aliaque Cameræ Spirenſis Mandata & Reſcripta parum reſpicere, imò vero quod prædicta Ordinatio Executionis maximè ad vim repellendam introducta, ferè contrarium ſortiatur effectum, illaque ad impediendam neceſſariam defenſionem abuti, nobis vitio vertere, multo minus ſiniſtrè & in æmulationem vel contemptum unius vel alterius Circuli interpretari poſſe, quod ſolito & licito more contra violentas invaſiones nos præparemus.

Nos ſano cujuslibet judicio relinquimus, an non, ſi quis hoc pro æmulatione cum Circulis explicare velit, peſſima inde naſcatur diffidentia, atque id conſequatur propemodum, quaſi Civitatibus aliisque Ordinibus, qui Principes non ſunt, non liceat cogitare de naturali defenſione: Multo minus ex hoc apparatu contumacia & rebellio ſubditorum adverſus Magiſtratum deduci poterit. Quamvis enim allegetur, quod Lubecæ ſcripta nuper proiderint, ex quibus appareat noſtra & Majorum noſtrorum conſilia huc collimare, Nos falſiſſimæ huic accuſationi publicè contradicimus & teſtamur quod adhibita etiam diligentiſſima inquiſitione nihil tale invenire potuerimus, pollicemur prætereà ſi quid probatum fuerit, Nos re ipſa demonſtraturos, nobis hæc omnia ſummè diſplicuiſſe; Quod verò confœderatę civitati Brunſuicenſi, cũ per integros menſes quinq; nihil tale metuẽs graviſſima obſidione premeretur, juxta diſpoſi-

 tio-

tionẽ pactorum, & Permissionem legũ atq; constitutionum opẽ tulerimus, eandemq; etiamnũ pro Membro Societatis agnoscamus & protegamus, hoc aliò non pertinet, quã ut via ad justitiã conservetur. Nos quidẽ ex animo precamur, ut omnes & singulę controversię per viã juris aut amicabilis compositionis decidatur & finiantur, prout hoc ipsum S. Cęsarea Majestas, Eminentissimi & Serenissimi Electores, aliiq; Principes & Status Imperi, quos omnes tã in aulis, quã in Comitiis Ratisbonensibus per deputatos nostros & literas intercessionales humillime & reverenter in hũc finem imploravimus, testari poterunt, Nos hoc nullo alio consilio fecisse, quam ut omnia in pristinum statum reducerentur.

Nos quoq; cum S. Cęs. Majestas ratione defensionis Brunsuicensium, atq; editionis Privilegiorũ & Recessuum diversa Mandata nobis transmisisset, ex conventu Lubecensi An. *1606*. die 25. & 26. Iun. ad utrumq; humillime respondimus, ut non dubitemus quin huic nostrã declaratione satisfactum sit.

Cũ itaq; hic, ut diximus, antiquissimę nostrę confœderationis ab Imperatorib. Regib. Electorib. aliisq; statibus toties confirmatę itemq; apparatus bellici scopus sit atq; ratio, publice & solenniter ꝓtestamur cum reservatione omniũ juriũ, & pernegamus quod contra S. Cęs. Maiest. Authoritatem vel Aureę Bullæ dispositionẽ, itẽq; Imperii & Circulorum constitutiones, cõtra Ordinationem executionis in æmulationem & cõtemptum laudatissimi Circuli inferioris Saxoniæ ejusdemq; Generalis & Adjunctorum, multo minus pro commovendis subditis adversus Magistratus, Societatem vel conspirationem, aut factionem, ut vocãt, iniisse, & supremum belli Ducem cum aliis officialibus sub certis stipendiis conduxisse, imo potius provocamus ad Deum Opt. Max. nobis per falsissimas hasce accusationes maximam inferri iniuriam, reddemus, si opus sit, nostrarum actionum rationem corã S. Cæs. Maiesta-

iesta-

jestate, coram supremo Iudicio Spirensi, coram Electoribus cæterisq; statibus, atq; dabimus insuper operam, ut pro viribus salutem & commodum Imperii Romano Germanici promovere possimus. Perscriptum Lubecæ die 24. April. anno 1609.

Formula Fœderis Illust. Belgii Ordinum cum Bremensibus & Hamburgensibus an 1645. die 4. Augusti initi.

Quandoquidem iam à multis retro annis inter fœderati Belgii Provincias omnesq; Hanseaticas, ac præsertim Bremensiũ & Hamburgensium civitates perpetuo sincera, firma fidaq; amicitia ac societas mutua utrinq; culta, & temporario ante hac fœdere An. 1616. confirmata fuit, cuius institutũ tempus, quum iam diu expiraverit, utriusq; autẽ partis sincera mens ac voluntas colendæ ac fovendæ eiusdẽ Amicitię ac Societatis prædictæ, quinetiam Fœderis renovandi utrinq; cõcurrat; Domini Ordines Generales è suis delegarunt & sufficiente auctoritate instruxerunt Nobilissimos, Strenuissimos, Doctissimos, Sapientissimos ac Prudentissimos Dominos Iohannem à Gent, Iacobum Veth, I.U.D Civitatis Medioburgensium Consiliarium & Syndicum: Joanem à Reede, Reynswoudæ & Woudenbergæ Toparcham; Carolum Roorda, Grietmannum in Idaerderadeel; Gerardum à Santen, Campensium civitatis Consulem; Gualterum Schoonenburgium; omnes in concilio suo Deputatos; qui postquam aliquoties convenissent, cum Srenuissimis, Doctissimis & Sapientissimis Dominis Bethmanno Herdesiano, I. V. D & Nicolao Ierrenio, I.U. Licentiato, Syndico, supra dictarum Civitatum Consiliariis, una cum Domino Leone ab Aitzema, dictarum Civitatum Hanseaticarum Residente, atq; hic commorante, supra memoratarum Bremensium & Hamburgensium civitatum Deputatis, vi potestatis & auctoritatis sibi concessæ, sequentes Articulos simul atque coniunctim cõcluserunt ac confirmarunt.

1. Præ-

1. Præſens Tractatus (uti etiam Tractatus ſupra dicto anno 1616. inter Præpotentes Ordines ab unâ, & Civitates Hanſeaticas ab alterâ parte initus) inſerviet non offenſioni, verum *ſecuritati ac libertati Navigationis, Commerciorum ac quarumcunque Negotiationum in Mari Septentrionali, (uſque ad anguſtias) & Viſurgi Albique*, quemadmodum hactenus conſuevit, inſuper etiam *defenſioni Privilegiorum, immunitatum atque jurium, tam hujusce ſtatus ejusque ſubditorum, quam memoratarum Bremenſium & Hamburgenſium Civitatum*: quo Partis utriuſque ſubditis jus Gentium, ſupradicta Privilegia, Immunitates, Iura & Statuta absque ulla interpellatione adverſus eos omnes reſerventur, qui præfatos ſubditos contra ſupra memorata Privilegia, illegitimis mediis in iis, quæ ſupra dicta ſunt, impedire ac diſturbare conabuntur, Reſtitutioni itaque eorum, quæ ſupra memorata ſunt, ea remedia adhibebuntur, quæ in ſequentibus explicantur.

2. Præſens Tractatus Amicitiæ ac Fœderationis, cum Cæſareâ ſua Majeſtate, inſuper etiam cum Sac. Rom. Imp. aliisque Principibus & Rebusp. præjudicio neutiquam futurus eſt: præterea utraque civitas, quæ hactenus ſub Romanæ Cæſareæ Majeſtatis & Sacri Romani Imperii clientelâ, defenſione, amicitia atque Imperio fuit, inpoſterum quoque ſub iiſdem manſura eſt: ſimiliter etiam, ſupradictæ Civitates, vi præſentis hujus Tractatus, bello, quod Præpotent. Dominos Ordines adverſus Hiſpaniarum Regem gerunt, ſeſe immiſcere non tenebuntur.

3 Quod ſi igitur eveniat, ut per aliquem Navigatio, Commercia, Negotiationes, Iura, immunitates, & Privilegia alterutrius Partis impediantur aut diſturbentur, primum ſuper eâ re amicabilis compoſitio inſtituatur ut exorta quæſtio, ſi fieri poſſit, decidatur atque tollatur; Si verò hoc, ut ſupra dictum eſt, com-

commodis mediis effici nequeat, de aliis viis ac rationibus, quibus id obtineri queat, mutuo agetur atque convenietur, quemadmodum etiam eodem tempore pars & proportio sumptuum ab alterutrâ Parte faciendorum instituetur ac decernetur.

4. Præpotentes Domini Ordines præsentem Fœderationis Tractatum ad bonum commodumque mutuum dirigent: ita tamen ut directio Civitatibus intra suos limites ac territoria integra relinquenda sit: & in deliberationibus ac consiliis ad bellum spectantibus, tam Præpotentibus Dominis Ordinibus, quam supra dictis Civitatibus liberè sententiam suam exponere licebit: In quem finem etiam prædictarum Civitatum nomine uni aut pluribus Personis Hagæ-Com. aut ubicunque Præpotentes Domini Ordines convenient, consiliis eâ de re capiendis interesse integrum erit: Præpotentibus quoque Dominis Ordinibus non nullos in supra dictis Civitatibus, aut in quibus locis necessitas postulabit, ad promovendam observationem & confirmationem præsentis Tractatus constituere licebit.

5. Navibus Subditorum utriusque Partis absque ullo impedimento Portubus & Fluminibus mutuorum suburbanorum agrorum etiam uti, in iisdem de commeatu sibi prospicere, naves reficere, aliisque commoditatibus frui, (hoc tamen absque omni violentiâ aliave petulantia) seu quo quispiam indigere possit, emere & comparare integrum erit.

6. Supra dicta Fœderatio ab utraque Parte fideliter ac plenè observabitur; sin verò (præter opinionem) dissensio aliqua mutua oriatur, nulla hostilitas eà de causa instituetur, sed controversia, adhibitis personis, si opus fuerit pacem amantibus, mutuo supprimetur.

7. A neutra Parte absque mutuo consensu quidquam,

 quod

quod alterutri præiudicio esse possit, tractabitur, verum dabitur opera, ut pax communis inter Partis utriusque Cives, Incolas, Subditos, Naves, Bona, commerciaque servetur, & antiqua privilegia atque Immunitates defendantur.

8. Præsens Tractatus quindecim proximè sequentibus Annis vim ac vigorem suum obtinebit.

9. Sin verò plures Civitates Hanseaticæ præsentis Tractatus ac Fœderis participes fieri cupiant, id non nisi æquis conditionibus & communi Partium consensu fiet.

10. Tractatus hujus confirmatio inter duos Menses à die subsignationis, utrinque solennibus formulis cõscripta tradetur.

Hunc Tractatum Nos Commissarii & Deputati subscriptione & sigillis nostris confirmavimus. Hagæ-Comitis, quarto die Augusti, Anno millesimo, sexcentesimo, quadragesimo & quinto, I. à Gent, I. Catzius, Iacobus Veth, Ioannes à Reede, C. Rooarda, G. à Santen, G. Schoonenburgius, Bethmanus Herdesianus, Nicolaus Ierrenius, Leo ab Aitzema;

Receptio Lubecensium in antecedens Fœdus ratione Travæ & Oceani juxta art. 9. die 25. Octob. anno 1646.

QVandoquidem jam à multis retro Annis inter Unitarum Belgii Provinciarum Dominos Ordines Generales omnes Hanseaticas ac præsertim Lubecensium, Bremensium & Hamburgensium Civitates perpetuò sincera, firma, fidaque Amicitia ac Societas mutua utrinque culta, & temporario ante hac Fœdere, An. 1616. confirmata fuit, cujus constitutum tempus quum jam aliquamdiu exspiraverit, utriusque autem Partis sincera mens ac voluntas colendæ atque fovendæ ejusdem Amicitiæ ac Societatis supra dictæ, quin etiam Fœderis renovandi utrinque inter-

intercedat(quemadmodum Fœdus hoc inter memoratos Dominos Ordines & Civitates Bremam & Hamburgum quarto die Augusti, elapsi anni 1645. renovatum ac confirmatum & nono ejusdē Tractatus Articulo aliis quoq; Hanseaticis Civitatibus eidē inseri permissum fuit) Prępotentes itaq; Dominos Ordines Generales Deputatos suos delegarunt & sufficiente Auctoritate instruxerunt Nobilissimos, Strenuiss. Doctiss Sapientiss atq; Prudentissimos D.D Johannem à Gent, Amelem Bouchorstiū, Toparcham in Wimmenum, Balivum aggerumq; Rhenolandiæ Prępfectū, Curatorē Academię Lugdunensis; M. Albertum Bruynnincx, Equitē, Enchuysanorum civitatis Syndicum; Casparū Vosbergium, Equitem, in Isolar & Cat in Duyvendycke Toparcham; Gilbertum Hoolkium, Civitatis Trajecti ad Rhenū Ex-Consulē; Carolum Roorda, Grietmannum in Idaerderodeel; Balduinum Iacobi Mulertium, Leencuylę Dominum; Hieronymum Eylceniū, Grœningensium, Civitatis Consiliarium, omnes Deputatos in Consilio Dominorū Ordin. ex Provinciis Gelriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Trajecti ad Rhenū, Frisię, Trans-Ysalaniæ, Civitatis Groningę Omlandięq;: qui omnes simul vel maxima eorū pars, postquā variis tēporibus convenissent atq; egissent cum Nobilissimis, Strenuissimis, Sapientissimis ac Doctissimis D.D. Joanne Poppingio, supra dictę Lubecensiū Civitatis Deputato ac Consiliatio & Domino Leone ab Aitzema omniū Civitatum Hanseaticarum, Hagę-Com. Residente, vi utriusq; Procuratorii, sequentes Articulos unanimiter concluserunt ac confirmarūnt, quemadmodū iidem inter memoratos Unitarum Belgii Provinciarum Dominos Ordines Generales & supra dictas Bremensium & Hamburgensium Civitates 4. die Aug. An. 1645. cum nonnullis tamen extensionibus & explicationibus primo, secundo, quarto & quinto sub-

ſequenti Articulo inſertis, ſecundū eorum tenorē concluſi fuerūt.

1. Præſens Tractatus, quemadmodum etiam Tractatus (ſupradicto Anno 1616. inter præpotentes Dominos Ordines ab unâ & Civitates Hanſeaticas ab altera Parte initus) inſerviet non offenſioni, verum ſecuritati ac libertati Navigationis, Commerciorum ac quarumcunque Negotiationum in Oceano & Mari Balthico (uſque ad Anguſtias) & Trava, Viſurgi Albique, quemadmodum hactenus ab utraque Parte obſervatum fuit; inſuper etiam defenſioni Privilegiorum, Immunitatum atque jurium tam hujuſce Status ejusque ſubditorum, quam prædictarum Lubecenſium, Bremenſium & Hamburgenſium Civitatum, quò Subditis utriuſque Partis jus Gentium, ſupradicta Privilegia, Immunitates, jura & ſtatuta, adverſus eos omnes, qui præfatos ſubditos contra ſupra dicta Privilegia, illegitimis mediis, in iis, quæ dicta ſunt, impedire atque diſturbare conabūtur, conſerventur; reſtitutioni itaque eorum, quæ allegata ſunt, ea remedia, quæ in ſequentibus referentur, reipſa adhibebuntur.

2. Præſens Tractatus Amicitiæ cum Cæſarea ſua Majeſtate, Sacro inſuper Imperio Rom. aliisque Principibus & Rebuspublicis in præjudicium neutiquam cedet, hoc tamen Fœdere ſemper ſalvo manente, ut tres illæ Civitates, quæ hactenus ſub Romanæ Cæſareæ Majeſtatis & Sacri Romani Imperii clientelâ, Defenſione, Amicitia & Imperio fuerunt, in poſterum quoque ſub iisdem manſuræ ſint: Similiter etiam ſupradictæ Civitates, vi præſentis hujus Tractatus, bello, quod Præpotentes Domini Ordines adverſus Hiſpaniarum Regem gerunt, ſeſe immiſcere non teneantur.

3 Quod ſi igitur eveniat, ut Navigatio, Commercia, jura quinetiam, Immunitates, Privilegia alterutrius Partis impediantur

tur aut disturbentur, primum super eâ re per viam concordię, ut vocant, laborabitur, quo amicâ compositione exorta quæstio, si fieri possit, decidatur ac componatur, si verò hoc, ut dictum est, commodis mediis effici nequeat, de aliis rationibus, quibus id obtineri queat, mutuo agetur atque convenietur: quemadmodum etiam eodem tempore pars ac proportio sumptuum ab alterutrâ Parte faciendorum instituetur ac confirmabitur.

4. Præpotentes Domini Ordines præsentem Fœderationis Tractatum ad bonum commodumque mutuum dirigent: eâ lege tamen, ut directio Civitatibus intra suos limites ac Territoria integra conservetur; & in deliberationibus ac consiliis ad bellum spectantibus, tam Prępotentibus Dominis Ordinibus, quam supra dictis Civitatibus liberè sententiam aperire liceat. Insuper unaquæque pars unitorum corporum suffragium suum liberè feret; in quem etiam finem supra dictarum Civitatum Nomine uni aut pluribus Personis Hagæ-Comitis, aut ubicunque Præpotentes Domini Ordines convenient, consiliis eâ de re ineundis interesse integrum erit: Præpotentibus quoque Dominis Ordinibus, si ipsis ita visum fuerit, ad supra dictas Civitates, aut quocunque necessitas postulabit, ad præsentis Tractatus observationē ac confirmationē promovendam, non nullos delegare licebit.

5. Navibus Partis utriusque Subditorum absque ullo impedimento Portubus & Fluminibus mutuorum suburbanorum agrorum uti, in iisdem de commeatu sibi prospicere, naves reparare, aliisque commoditatibus, *juxta leges ac statuta uniuscujusque loci*, frui integrum erit, sine ulla violentia; sed quo quispiam indigere posset, emere atque comparare licebit.

6. Supra dicta Fœderatio ab utraque Parte fideliter ac plenè observabitur, sin verò (præter opinionem) dissensio aliqua

mutua oriatur, nulla hostilitas exercebitur, sed negotium per pacis amantes personas, si opus fuerit, componetur.

7. A neutrâ Parte, absque mutuo consensu, quicquam quod alterutri præjudicio esse possit, tractabitur, verum multo magis dabitur opera, ut pax inter utriusque Partis Cives, Incolas, Subditos, Naves, Bona, Commercia conservetur, pariterque ut immunitates atque *P*rivilegia defendantur.

8. *P*ræsens Tractatus quindecim, proximè sequentibus, Annis vim ac vigorem suum obtinebit.

9. Sin verò plures Civitates Hanseaticæ in præsentem Tractatum ac Fœdus adsciscí cupiant, id nisi æquis conditionibus & communi partium consensu, fiet.

10. Tractatus hujus confirmatio intra tres Menses ab hoc die utrinque solennibus formulis tradetur.

ActumHagæ-Comitis die 25 Octobris, anno 1646.
I. à Gent, A. Bouchorstius, A. Bruynnicx, G. Vosbergius, G. Hoolkius, C. Roorda, B I. Mulertius, H Eybenius, Ioannes *P*oppingius, L. ab Aitzema.

Tra-

Tractatus super negotiis maritimis inter Serenifs. & Potentißimum Ludovicum XIV. Galliæ & Navarræ Regem Christianißimum & Honorab. Civitates Hanseaticas Parisiis anno 1655. mense Maio institutus et confirmatus.

POstquam Sacræ Regiæ Majestati clementissime placuit, Civitatibus Hanseaticis notum facere, quod illas, pari cum Majoribus suis benevolentia & affectu prosequatur, & quod velit antiquam amicitiam & confœderationem conservare, quæ à multis annis viguit singulari commodo Subditorum S. Regiæ Majestatis, & prædictarum Urbium; Rex Christianissimus libenter intellexit Dominos Penshornium & Mollerum, Senatores Reip. Hamburgensis & Hansæ Teutonicæ Legatos inprimis petere confirmationem & declarationem privilegiorum, ne subditis Hansæ usus commerciorum, etiam cum hostibus hujus Coronæ impediatur, sub quocunq; prætextu à Navibus bellicis S. Regiæ Majestatis, aliisque. Ut autem de conditionibus rectius constet, S. Regia Majestas Domino Comiti de Brienne Consiliario & Primario Secretario Status, Domino de Haligre Consiliario & Directori redituum, itemque Domino de Bignon Consiliario & Advocato Generali Parlamenti Parisiensis negotium hoc commisit, qui præviis deliberationibus consideratisque circumstantiis cum Dominis Penshornio & Mollero

jux-

juxta tenorem Mandatorum sequentes articulos approbarunt.

I. Licebit Civitatum Hanseaticarum subditis uti commerciis & secura navigatione tam in Gallia, quam in aliis Regnis, provinciis, ditionibus, portubus, fluminibus ad hanc coronam pertinentibus, atque sic omnes tuto accedant, recedantque cum navibus & mercibus, sitque interdictum Navibus Regiis, ne quid impedimenti ipsis inferant sub quocunque prætextu, aut prorsus retineant, etiamsi proficiscantur ad loca & Civitates præsentium vel futurorum inimicorum hujus Regni, modo non habeant merces prohibitas.

II. Per merces prohibitas sive *de contrebande*, intelliguntur res ad bellum necessariæ, videlicet tormenta ænea majora, bombardæ minores, pyroboli, glandes ignitæ, Exostræ, Carbunculi ignei, Sancissæ, malleoli & alia Instrumenta bellica, balthei, pulvis tormentarius, restes incentivæ, nitrum, omnisque generis arma, cujusmodi sunt hasta militares, Machæræ, casses, galeæ exploratoriæ, loricæ bipennes, missilia aliaque ad bellum pertinentia, nec non equi, linteum ex quo vela conficiuntur. Liberè autem licet invehere omnis generis frumenta & legumina, aliaque ad victum necessaria, modo Civitates & oppida, quibus talia subministrantur, obsidione cincta non sint, vel naves ab hostibus per vim abductæ & à Gallis interceptæ non fuerint, Hoc enim si contigerit, Ministris & Officialibus Regiis liberum erit hujusmodi frumenta aliaque ad victum pertinentia soluto pretio sibi retinere. Cæterum si neq; æstimatio præcesserit, neq; pecunia parata sit, Civitatum Hanseaticarum subditis sine ullo impedimento discedere licitum permissumque erit, modo in navibus nihil mercium prohibitarum reperiatur. Neque enim S. Regia

gia

gia Majestas Capitaneis suis concedit potestatem Naves Hanseaticas detinendi, extra illas, quæ mercibus prohibitis onustæ sunt, quo casu ea observabuntur, quæ in Constitutionibus Regum Francisci, de anno 1554. & Henrici 1584. disposita sunt. Si vero merces prohibitæ in hisce navibus reperiantur, quæ à diversis Mercatoribus conductæ sunt, tum demum vel ipsa navis, vel illius tantum merces fisco applicabuntur, qui prohibitas navi imposuit, atque is tenebitur omne damnum & impensas cæteris refundere. Hoc si accidat, juxta hunc articulũ, non vero secundum tenorem superiorum Constitutionum certi quippiam statuetur, itaque publicata sententia, navis cum reliquis mercibus libere discedet, adeo ut super hoc negotio Præfecti Admiralitatis sine mora teneantur cognoscere.

III. Quamvis autem modo allegatæ Constitutiones Francisci I. & Henrici III. etiam hoc disponant, quod si S. Regiæ Majestatis subditi belli tempore naves amicorum & Fœderatorum capiant, in quibus hostium merces deprehenduntur, vel naves hostium quibusdam mercibus amicorum oneratas, vel pars navis ad ipsos pertineat, Confiscationẽ esse legitimam; Nihilominùs tamen S. Regia Majestas propter privilegia Hanseaticorum ab hisce Sanctionibus recedit, & Subditos Civitatum à rigore prædictarum Ordinationum liberat, adeò ut merces hostium reliquis non noceant, neque naves amicorũ propter receptas merces inimicorum fisco cedant, modo nihil rerum prohibitarum vexerint, vel documenta in mare non projecerint, vel cum navibus Regiis dimicaverint.

Eodem modo permittit S. Regia Majestas, ut merces in hostium navibus repertæ, si ad Hanseaticos pertineant, ipsis restituantur.

IV. Si fortè Capitaneus Gallicus capiat navim mercibus prohibitis onustam, tum nemini licebit aperire cupas, cistas, dolia, neque alienare, vendere aut permutare quicquam antequam omnia, confecto inventario, in terram exposita fuerint.

V. Mercatoribus quibuscunque sub pœna Ordinationum & amissione bonorum interdictum sit merces prohibitas emere, permutare vel sub titulo donationis sibi acquirere, occultare in captivis Navibus repertas, antequam pro confiscatis declaratæ fuerint, hoc ubi factum, Capitaneis navium Hanseaticarum liberum erit merces pro æstimato sibi comparare, quo casu aliis præferendi sunt.

VI. Ne quid autem dubii supersit de conditione mercium receptarum, Capitanei navium Hanseaticarum tenebuntur Capitaneis Regiis ostendere in Mari literas salvi conductus, & Certificationes, ex quibus manifestum fiat navim ad subditū prædictarum Civitatum pertinere, idque jurato affirmabitur coram Magistratu illius loci unde profecta, qui illud ipsum per documentū legitimè obsignatum attestari debet, in qua Certificatione exprimetur capacitas, locus à quo & ad quem, nec quicquam ex genere mercium prohibitarum illatum esse.

VII. Ut autem omnis occasio futurarum dissensionum præcidatur, si forte naves Regiæ Capitaneis Hanseaticis obviam venerint, statim, postquam agnitâ nave Regiâ vela submiserunt, vel per explosionem tormenti majoris solo pulvere repleti signū à Francis datum fuerit, sistent cursum ad distantiam bombardæ, & Scheapham navis Regiæ expectabunt cum duabus vel tribus personis, exceptis remigibus, quibus, conscensâ navi mercatoria, Capitanei Hanseatici exhibebunt salvum conductum & Certificationem cum designatione mercium His documentis fidē habebunt Ministri Regii, & postquam nihil merciū prohibitarum depre-

deprehensum fuerit, ulterius nō inquirent, nec postulabunt sibi exhiberi reliquas literas, multo min9 aperiēt cistas, dolia vel ipsas naves retinebunt, aut sub prætextu salarii vel impensi temporis quicquā accipiant; Ne quid autē injuriæ inferatur Officialibus Regiis interea dum documenta perlustrant, Capitanei navium Hanseaticarū duos vel tres ex præcipuis Officialibus in schaphā Regiam dimittant, ibiq; tam diu subsistant; donec omnia legitimè lecta & peracta, & Ministri Regii navim suā ingressi fuerint.

VIII. Præfecti navium Regiarū vigore Ordinationis antequā Mare ingrediatur, Cautionē pręstabūt ad decē mille florenos corā judicibus Admiralitatis, se nimirum actionū suarum rationē reddituros, nec quicquam perpetraturos adversus hunc Tractatū.

IX Civitates Hanseaticæ illarumq; cives & subditi ratione navigationis & commerciorū terra mariq; iisdem juribus, immunitatibus & privilegiis utentur, quę vel concessa jam sunt, vel deinceps cōcedentur Fœderati Belgii subditis aliisque Nationibus, nunc vel imposterū Confœderatis cum Galliæ regno, ita tamen ne quid detrahatur Concordatis, Tractatibus & Privilegiis à S. Regiæ Majestatis Prædecessoribus olim indultis, hæc enim salva atque inviolata manebunt.

X. Atq; sic S. Regia Majestas omnes alios Tractatus & Confœderationes inter Franciæ Reges & Civitates Hanseaticas initas omniaq; privilegia à Majoribus indulta, maximè verò à Ludovico XI. an. 1464. & 1483 à Carolo VIII. anno 1489. Francisco I. anno 1536. Henrico II. an. 1552. & Henrico IV. anno 1604. indulta, licet non repetantur, per hunc Tractatū confirmat, ac si de verbo ad verbum inserta fuerint; vice versa S. Regiæ Majestatis subditi antiqua privilegia retinebunt in Civitatibus Hanseaticis pariter ut aliorum Regum & Statuum subditi.

XI. Subsecuta utrinque Ratificatione hujus Tractatus statim ille in Parlamento Regio producetur & publicabitur in portubus & Civi-

tatibus ubi opus erit, ne quid contrarii suscipiatur, atque Copiis eadem fides adhibebitur quæ autographo.

X Si ante reciprocam exhibitionem Ratificationis, quæ intra proximos duos menses parata esse debet, navis Hanseatica capta fuerit, negotium hoc juxta præsentem Tractatum conficietur. In hujus rei fidem Nos supradicti Commissarii & Deputati vigore Mandatorum Tractatus articulos obsignavimus & subscripsimus. Actum Parisiis 10 Maii anno 1655.

De Lomenie S. L. D' Häligre. L. S. Bignon L. S. D. Penshorn L. S. Th. Moll.r L. S. Mandatum pro Commmissariis Regiis.

NOs Ludovicus Dei gratia, Rex Franciæ & Navarræ omnibus hasce literas conspecturis salutem.

Postquam Nostri perdilecti amici & Confœderati Consules Senatores, Seniores atque incolæ Hansæ Teutonicæ vulgo dicti Osterlingi, ad Nos ablegarunt Dn. Penshorn & Moller, Senatores Reipubl. Hamburgensis, ut Nobis significarent ex Fœdere & amicitia inter Nos & Civitates hactenus inita atque ex privilegiis à Prædecessoribus nostris indultis & cõfirmatis plurimum emolumenti redundasse in Utriusque partis subditos, atq; sic a Nobis impetrarent confirmationem pactorum & privilegiorum, & in hunc finem necessariis Mandatis instructos esse. Itaque Nos qui nihil magis exoptamus, quam Subditorum & Confœderatorũ commoda omnibus modis promovere, ea quæ nomine Civitatum Hanseaticarum ab ipsis proposita sunt, libenter intelleximus, & quoniam ad expediendum hoc negotiũ idoneis Ministris opus habemus, elegimus Dominum Comitem de Brienne, Consiliarium & Secretarium nostrum Status, itemq;

Domi-

Dominum de Haligre Consiliarium & Directorem redituum, & Dominum de Bignon Consiliarium & Advocatum Generalem ex singulari fiducia & affectu erga omnes.

Hæc aliaque considerantes ex Consilio honoratissimæ Matris nostræ, multorumque Ducum, Parium & Officialium hujus Coronæ dedimus omnibus & singulis vigore præsentium literarum potestatem conferendi cum Deputatis Hanseaticis *D*ominis Penshornio & Mollero, ut uno vel altero impedito aut absente, tertius posset agere & tractare super renovatione Fœderis & confirmatione privilegiorum, maximè autem super articulis & conditionibus circa mutua commercia utriusque Nationis subditis salutaribus. Nos Regia fide promittimus, singula exactè fore observata, quæ a Commissariis nostris & Deputatis Civitatum Hanseaticarum conclusa fuerint, neque permittemus, ut quicquam impedimenti objiciatur, imo verò singula ratihabebimus intra præfixum tempus. Nam hæc est nostra Voluntas. Pro majori fide Mandatum hoc sigillo nostro muniri *j*ussimus. Parisiis die 4. Novembris anno Christi 1654. & *R*egni 13.

Louys

Par le Roy le Tellier.

Mandatum Legatorum Hansæ Teutonicæ.

NOs Consules & Senatores Civitatum Lubecæ, Bremæ & Hamburgi notum facimus, quod Nostro reliquarumque Civitatum Hanseaticarum nomine ad Serenissimum & Potentissimum Principem & Dominum, Dominũ Ludovicum XIV. Galliæ & Navarræ Regem Christianissimum, Dominum nostrũ clementissimum ex Corpore nostro deputavimus & elegimus Legatos, Viros Nobilissimos & Consultissimos *D*ominum Da-

 videm.

videm *P*enshorn & Dominum Theodorum Moller Reipubl. Hamburgenſis Senatores, ut rogent & procurent reſtitutionem navium merciumque, ante annum fere Nannetum deductarum cum omni cauſa, ordinationem ſuper Navigatione, commerciis itemque privilegiorum; & quoniam ad hanc rem gerendã opus habent noſtro ſpeciali Mandato; idcirco dictis Legatis noſtris ambobus ſimul, & unicuique eorum ſeperatim, abſente vel impedito forte altero, plenam damus poteſtatem noſtro nomine & loco de præfatis commiſſis negotiis & eorum dependentiis apud Chriſtianiſſimam Majeſtatem, ejusdemque Conſiliarios, Commiſſarios aliosve Miniſtros, quib. ea res in manu eſt, eritve, omnia ea agendi, rogandi, tractandi concordandi & concludendi, quæ pro ſatisfactione Mercatorum, ſecuritate navigationis, mercaturę & commerciorum renovatione, confirmatione & obſervantia privilegiorũ convenire cenſebunt, firmiter promittentes, Nos grata ac rata habituros, quæ per præfatos Legatos noſtros circa prædicta negotia fuerint peracta & concluſa, in quorum fidem præſens hoc Mandatum communi Civitatum Hanſeaticarum ſigillo, quo in hujusmodi negotiis Hanſeaticis uti conſuevimus, corroborari fecimus. Datum Lubecæ die 20. Maii anno 1654.

S Regiæ Majeſtatis Ratificatio.

LVdovicus Dei gratia Rex Franciæ & Navarræ omnibus hiſce literas lecturis ſalutem.

Poſt-

Postquam in Nostro Consilio Secretiori vidimus & examinavimus Tractatũ, qui nostro nomine nuper die 10. Maii per Nostros dilectos & fideles Dominum Comitem de Brienne Consiliarium & Secretarium Status, Dominum de Haligre Consiliarium & directorem redituum, & Dominum de Bignon Consiliarium & Advocatum Generalem juxta tenorem nostri Mandati cum Dominis Penshornio & Mollero Reipub. Hamburgensis Senatoribus, Legatis Civitatum Hansæ Teutonicæ, amicis & Confœderatis nostris, qui Osterlingi vocantur, conclusa & peracta sunt, cujus Commissionis formula hæc est.

N. N. N.

Nos ex consilio Reginæ, honoratissimæ *M*atris nostræ, Ducum, Parium, aliorumque Procerum hujus Coronæ ratihabemus & confirmamus vigore præsentium literarum modo nominatum Tractatum ejusdemque singulos articulos, atque Regia fide pollicemur, etiam sub hypotheca omnium nostrorum bonorum præsentium & futurorum, *N*os hujus Tractatus capita exacte observaturos, neque ullo modo permissuros ut quicquam violetur. *N*am hæc est nostra Voluntas. *P*ro majori fide sigillum nostrum apponi curavimus. Feræ die 15. Junii anno Christi 1655. regni 13.

Louys

Par le Roy, DeLomenie.

Ratifi-

Ratificatio Civitatum Hanseaticarum.

NOs Consules & Senatores Civitatum Lubecæ Bremæ, & Hamburgi nostro sociarumque Hanseaticarum Civitatum nomine notum testatumque facimus omnibus & singulis præsentes hasce legentibus, imposterumve lecturis,

Postquam Serenissimo & Potentissimo Principi ac *D*omino, Domino Ludovico XIV. Galliarum & Navarræ Regi Christianissimo, *D*omino nostro clementissimo placuit pro usu ac securitate commerciorum & navigationis cum Fœderatis Hansæ Teutonicæ Civitatibus, earumque nomine specialiter ad id *D*eputatis, Viris Nobiliss. & Consultiss. *D*omino *D*avide Penshornio & *D*omino Theodoro Mollero, Reipubl. Hamburgensis Senatoribus singularem quandam Tractationem instituere, quæ etiam eo tandem deducta, ut inter memoratæ suæ Majestatis Regiæ pariter ad id *D*eputatos, Illustriss. Excellentissimos, Generosissimosque *D*ominos Commissarios, dictæque Hansæ Teutonicæ Ablegatos die 10. Maii anni currentis Conventum fuerit super pactionis formula sequente.

N. N. N.

Et quoniam ulterius placuit, ut dictus Tractatus intra spatium duorum mensium ratihaberetur; Instrumentaque *R*atihabitionis hinc inde extraderentur; Idcirco Nos præfati Consules & Senatores nostro Sociarumque Civitatum nomine prædictum Tractatũ virtute harum in omnibus suis clausulis omni meliori modo approbamus, ratihabemus et confirmamus, bona fide spondentes ac promittentes pro Nobis *S*ociisque Civitatibus, *N*os omnes et singulos ejusdem articulos, & quicquid tota illa Conventione continetur, firmiter et inviolabiliter servaturos, nulloque modo passuros, ut eidem sive per *N*os sive per alios

contra-

contraveniatur. In cujus rei fidem præſentem hancce Ratificationem noſtram Civitatis Lubecæ ſigillo, quo in hujusmodi negotiis Hanſeaticis uti conſuevimus, corroborari fecimus. Datum Lubecæ die 18. Maii anno 1655. Ex ſpeciali Commiſſione Ampliſſimi Nobiliſſimique Senatus Lubecenſis vidit & ſubſcripſit Henricus Bateman ejusdem Reipubl. Protonotarius.

Commiſſio S. Regiæ Majeſtatis.

LUdovicus Dei gratia Rex Franciæ & Navarræ omnibus noſtris dilectis & fidelibus Conſiliariis Parlamenti Pariſienſis aliisque noſtris judicibus & Officialibus ſalutem. Mittimus vobis ſub ſigillo Cancellariæ noſtræ Tractatum nuper die 10. Maii inter Nos, noſtrosque amicos & Confœderatos Conſules Senatores & Seniores Civitatum Hanſeaticarum inſtitutum & Concluſum pro ſecuritate commerciorum in quibuscunque locis, præcipue autem cum hoſtibus hujus Coronæ idque per ſpatium XL annorum, ideoque vobis vigore præſentiũ literarum mandamus ut Tractatum hunc Actis inſeratis, omnesque articulos ſine ulla exceptione aut mora etiam diligentiſſimè obſervetis Feræ die 15 Junii anno 1655. regni 13.

Par le Roy

De Lomenie.

Tractatus hic in pleno conſeſſu Parlamenti auditus & approbatus a Procuratore Generali & Copiæ cum autographo collatæ ad Præfectos Admiralitatis transmiſſæ ſunt. Pariſiis in Parlamento, die 29. Junii anno 1655.

Du Tillet.

Ex actis publicis Parlamenti Pariſienſis.

PArlamentum S. Regiæ Majeſtatis literas patentes Feræ die 15. Junii anno 1655. exaratas ſub Magno ſigillo in cera flava

vidit, quibus S. Regia Majestas pure & simpliciter nobis mandavit, Tractatum per suos Commissarios cum Legatis & Deputatis Hansę Teutonicæ Dn. Penshornio & Mollero Reipubl. Hamburgensis Senatoribus initum, ejusdemque duodecim articulos, & Conclusiones Procuratoris Generalis. Re bene examinatâ Parlamento placuit Tractatum inter Acta Cancellariæ reponere, & pro maturanda Executione Copiæ auscultatæ transmittentur ad Præfectos Admiralitatis. Actum in Parlamento die 29. Junii, 1655. *Du Tillet.*

Tractatus Commercii Hispanici Anno 1647. die 1 Sept. inter Legatos Regis Catholici & Deputatos Civitatum Hanseaticarum Monasterii Westfalorum initus & confirmatus.

NOtum sit omnibus, quòd cùm ex parte nobilium Civitatum Hanseaticarum per Deputatos expressos Regis Hispaniarum ad pacis Generalis Conventus, plena cum potestate Legatis Monasterii Westphalorum degentibus multoties repræsentatum fuerit, earundem Civitatum Commercia, per Majestatis Catholicæ regna, ditiones & status, quæ alias non sine mutuo utrinque fructu & emolumento floruerant, ab aliquot annis injuriâ vel infelicitate temporum & Belli Calamitatibus, cum maximo tam Hispanicorum quàm Hanseaticorum populorum dispendio labefactari & initos super iisdem Commerciis Tractatus corrumpi, multorum gravaminum editâ, exhibitaque serie, quibus nomine prædictarum Civitatum remedia quamprimum & seriò adhiberi instanter urgebant; idem quoque totius Imperii nomine, Comitiorum Generaliũ, tam Monasterii, quàm Osnabrugæ Congregatorum Ablegati, penes eosdem Hispaniæ regis Plenipotentiarios voce & scripto efflagitabant. Quibus auditis & consideratis, cùm primarius eorum Plenipotentiariorum

Hispa-

Hispanicorum Legatus, Comes à Peneranda, ad regiam Majestatem Catholicam rescripsisset, & exemplaria prædictorũ Gravaminum, nec non earundem Civitatum Hanseaticarum literas, circa Commerciorum instaurationem transmisisset; obtentis benignis ac favorabilibus responsis, quibus benevolam suam in Hanseaticas Civitates earumque postulata propensionem, regia Majestas Catholica abundè & luculenter Contestatur, nec non Potestatem facit prędictis suis Plenipotentiariis, in hanc Commerciorum restauratione, gravaminũ Cessatione agendi, & modis omnibus antiquam amicitiam, navigationẽ, & Commerciorum exportationem, venditionem, emptionem inter Hispanicas & Hanseaticas Provincias, urbes & populos, facilitandi ac stabiliendi: inita iterum cum infra scriptis Deputatis & Ablegatis Civitatum Hanseaticarum super hoc negotio amicabili & specifica conferentia ac Consultatione, inter utrosque, provisionaliter, & sub futura suæ Majestatis Catholicæ Hanseaticorumque Magistratuum approbatione, & ratihabitione, conventum est.

I. Quod antiqua Civitatum Hanseaticarũ in Regnis & Provinciis Hispanicis acquisita Privilegia & immunitates, imprimis etiã Tractatus anni 1607. cum annexis Scriptis, Privilegiis eorumque extensionem Regiam Continentibus, hoc ipso Concessa, Confirmata, ex integroq; renovata, ad amussim ac Bona fide utrinq; & deinceps observabuntur, iis exceptis quibus per subsequentes Articulos quippiam derogatur, imprimis verò, ut Cessante inter Regiam Majestatem & Provincias uniti Belgii hostilitate, sive per Treugam, sive per pacis Compositionẽ id fiat, ea omnia, quæ adversus dictas

Provincias, earumque incolas & subditos in præfato Tractatu anni 1607 cauta erant, pariter cessent, ac sublata sint, durante pace & Treuga. Et si quid amplius in illum eventũ dictarum Provinciarũ uniti Belgii subditis, ratione mercimonii earumque, rerum, quæ ad ejusdem mercimonii securitatem & libertatẽ pertinent, concessum sit, quàm olim Hanseaticis competierit, vel datum sit, id omne & Vi hujus Tractatus Hanseaticis concessũ intelligatur, cùm præsertim præcipuas istarum Provinciarum Civitates simul Hanseaticæ societatis membra esse constet, Belli verò tempore ea, quæ in sequentibus hujus Conventionis articulis disposita, observabuntur.

II. Novi Certificationum modi ab aliquot annis contra vel extra præscriptum Tractatũ anni 1607. introducti tollantur, stabiturque iis solis inquirendi & certificandi rationibus, quæ præcedentibus Tractatibus exprimuntur, ad pristinum statum omnia restituendo, adeò, ut Magistri navium unam duntaxat Certificationem cum specifica mercium advectarum designatione, juxta Formulam dicti Tractatus anni 1607. de singulis navibus exhibere teneantur, quò magis & securiùs inter suę Catholicæ Majestatis populos amicitiæ & commerciorum jura coalescant. Cessante autẽ cum Belgio Unito hostilitate, nihil amplius Certificandum, quàm quòd mercimonia ad nullos eorum pertineant, qui vel Hanseatici non sint, vel iisdem cum Hanseaticis Privilegiis & juribus in Regiæ Maiestatis regnis ac ditionibus non gaudeant.

III. Donec verò regiæ Maiestati cum Ordinibus & Provinciis uniti Belgii, vel aliis quibuscunque Inimicis intercedit Hostilitas, fruantur Hanseatici Neutralitate, quæ ipsis à suę Maiestatis hostibus non negatur: ideoq; superioribus omnibus Han-

seaticæ

ſeaticæ ſocietati conceſſis ſalvis, libera ſit eidem omni tempore cum Belgis unitis, aliisque quibuscunque Regiæ Maieſtatis hoſtibus, commercandi, eorumque terras adeundi & relinquendi, merces terra marique inferendi & exportandi facultas: exceptis iis, quæ bellico uſui convenientes ex ditionibus Hiſpanicis provenerint. Qua in re, ne ullus ſubſequatur dolus, ea quæ art. 11. dicti Tractatus anni 1607. de mercibus in dictas Uniti Belgii Provincias non transvehendis, deque obligationibus deſuper expediendis ſtatuta ſunt, quo ad omnia loca hoſtilia, circa modo dictas merces, deinceps obſervabuntur.

IV. Omnem ubique Hanſeaticæ Civitates benevolentiæ teſtificationem Regi Catholico, eiusque ſubditis ac ſtatibus exhibebunt, & præterea, tam navium, quàm omnis nauticę ſuppellectilis inſtruendarumque navium apparatus, pro cuiusque Loci Conſuetudine, liberum, iuſtumque ſuę Maieſtatis Catholicę Miniſtris apud ipſas erit Commercium, unà cum omnibus aliis Commoditatibus, quas cuipiam alteri Principi & ſtatui Neutrali, ac amico, quovis tempore & loco ſunt conceſſurę. Quas ante dictas pactionum Leges, Legati Hiſpanici ex una parte & Deputati Hanſeatici, ex alia, manuum ſubſcriptionibus & ſigillis muniverunt, atq; pro maiori robore Regiæ Catholicæ Maieſtatis & reſpectivè ſuorũ Superiorũ ratihabitiones deſuper intra quatuor menſes hinc inde procurare & extradere receperunt.

Actum Monaſterii $\frac{1}{11}$ Septemb. anno Chriſti *1647*.

El Conte de Feneranda. Fray Joſeph. Archiepiſ. de Cambray. A. Brun. David Gloxinius D. & Synd. Lubec. Gerhardus Coccte D. Sen. Reipubl. Bremenſ. Johannes Chriſtophorus Meurer. D. & Syndicus Hamburgenſis.

Remonstratio argutiarum sive Sub- & Obreptionum quibus Jurium Domanii Anglicani Fiscalium prætensi Informatores, Domum Teutonicam, sive Stiliard, quæ est Lodini in Angliâ, civitatibus Hansæ Teutonicæ indè à pluribus seculis quæsitam, plurimis juribus ac privilegiis ornatam, continuoque hactenus possessam, novissimè impugnare & præsens Parlamentum, ipsumque adeò universum Populum Anglicanum, vera opprimendo, falsa comminiscendo, circumvenire ausi sunt. Londini nomine Societatis Hanseaticæ in Parlamento exhibita die 3. Augusti anno 1659.

Remonstratio Sub- et Obreptionum.

I. SUBREPTIO.

In eo consistit, quod & sæpius jactant Insultatores isti, & ferè ubique fundamenti loco præstruunt: *Jura & Privilegia Stiliardana niti mero beneplacito, gratiâ & munificentiâ Regum Angliæ, Populi olim publicique boni commodis neglectis: ideoque, ut privato studio concessa, posse quovis tempore, imò etiam debere nunc, vindicatis & restituis populi, ut ajunt, juribus, â Parlamento omninò revocari.*

RESPONSIO.

Atqui hoc ipsum initiò falsum est, per meram gratiam Hanseaticas civitates domum istam juraque eidem annexa primitùs obtinuisse. Quicquid enim juris in eo habent (plane ut cætera nationis Teutonicæ privilegia apud Anglos) origine tenus haut beneficio Regio acceperunt, sed officiis & benefactis suis meruerunt,

adeo-

adeoq; suo eoque optimo maximo jure possident. Meruerunt autem:

1. Auxiliis Anglicano populo quondam, summo labore, minimâ impensâ contra Gallos aliosque hostes submissis.
2. Strenua pro Anglis adversus eosdem hostes dimicatione eorundemque profligatione.
3. Ob damna post id temporis magna cum injuria ab ipsis Anglis vicissim perpessa. Horũ omniũ compensationẽ Angli eâ quidem tempestate, cum sive pecuniâ sive ullo se redhostimento alio exæquare posse diffiderent, succedere in locum debiti, inque solutum quasi crediti dadata sunt jura ac privilegia ista.

Id probant disertis verbis pacta & conventiones publicæ cum Henrico III, cum Eduardis, & sequentibus Angliæ Regibus initæ; Cum primis verò Transactio Ultrajectina, & plura alia documenta, quorum authenticæ scripturæ servantur Lubecæ in Archivo Hanseatico.

Sequitur hinc

1. Falsum esse, quod dicitur non observato populi publicoque Angliæ bono jura ista quæsita esse.
2. Verissimùm contrà, Angliam ingentis æris debito hac ratione liberatã, in quo tum evidens Reipublicæ utilitas versabatur.
3. Indeque fit, ut pacta hæc utrinque sint obligatoria.
4. Etquidem in perpetuum, ob synallagma intrinsecum.

5. Con-

5. Consequens est: nec posse eadem pro lubitu & in utilitatem alterutrius partis, alterâ dissentiente (salvo equidem iure quod inter Gentes est,) revocari, non magis quam repeti aut vindicari pro lubitu venditoris res semel vendita ac tradita potest.

6. Imò etiamsi mutuo dissensu â pactis illis recederetur, restituendæ tamen Civitates prius essent in eam causam, in qua fuerant 400. abhinc annis: ante videlicet impensas erogatas, operasque bellicas præstitas, ante damnum item perpessum; & quidem cum omni causâ. Quomodo (ut alia taceantur) refundendi forent:

1. Sumptus illi auxiliares & bellici, utiliter quondam Angliæ usibus impensi, una cum interesse 400. annorum.
2. Præterea operarum iisdem in bellis præstitarum calculus esset ineundus.
3. Nec non damnorum ab ipsis, sicut diximus, Anglis olim cõtra jus fasque Hanseaticis illatorum, una cum interesse temporis intermedii. Atque hæc quidem sola, damni videlicet istius æstimatio, cùm ipsis Angliæ Parlamentis eo tempore & calculantibus ità & ultro fatentibus, jam ante 200. annos excesserit summam 200000. lb. Sterling: facilè intelligitur, quanta in universum nasceretur debiti summa, si & hoc & illud & istud, una cum interesse adhæc tempora, & omnis præterea causa exactè computaretur.

7. At vero tantæ obligationis, tot impensarum, tot laborũ & bonorum jacturam cùm non pristinis saltem temporibus passæ sint Civitates; verùm adhuc etiam testentur, omni damno insuper habito, quâvis compensatione aliâ carituros sese lubentiùs, quàm mutuâ amicitiâ commerciique consuetudine cum Anglicano populo, dicto modo adeptis ac stabilitis; æquum est eis â Republicâ Angliç parem affectum rependi, utilitatesque Civita-

tum

tum terrâ marique omnibus modis foveri, juvari, & augeri potius quam imminui.

8. Planè autem ab omni ratione & humanitate alienum fuerit, sine ullo Civitatum merito aut delicto, abolita pristini temporis memoria affectataque officiorum oblivione, confictis prçterea ratiunculis, contra amicitię fas cunctarumque benè moratarum gentium jura, de possessione Eas, (sicut Informatores illi quidem facere satagunt,) dejicere, juribusque pridem quęsitis spoliare velle.

II. SUBREPTIO

QUâ utuntur, hęc est: *Quod, quoties de origine, titulo, & autoritate jurium Curiæ sive domus Styliardanæ loquuntur, ita loquuntur, ac si non per meram tantùm gratiam, sed & inscio & invito populo Anglicano, per importunas preces, sordes, clandestinisque fraudibus Civitates possessionem ejus nactæ essent. Ideoque ut plurimum Regum tantummodo mentionem faciunt, Parlamentorum aut omittunt aut dissimulant callidè: Nullo alio videlicet consilio, quam ut rerum initia ac progressus aut ignorentur prorsus, aut obliterentur, totumque hoc jus inde à primis quasi fontibus obstructum, populo ac plebi cunctisque rei gestæ ignaris, reddatur invisum.*

RESPONDETUR.

At verò 1. Non soli Reges, in privatis ac Regiis consistoriis sive cubiculis suis, jura illa Civitatibus elargiti sunt, sed publicè etiam in Parlamentis fuere proposita, lecta, expensa, cum applausu approbata. Id quod authenticis literis, quæ in dicto Archivo Hanseatico reperiuntur, quandocunque opus fuerit, manifestè probatum dari potest.

2. Quin & Civitatem Londinensem, quæ potissimam hac in re Anglicani populi partem facit, non consciam modo horum omnium fuisse, sed & solenniter cuncta approbasse, &, quantum in se fuit, rata habuisse, similibus publicis documentis constat.

Sequitur hinc

1. Non tantùm non solâ Regum gratiâ (quod primæ subreptionis argumentum erat) sed nec sola Regum autoritate (quæ altera est subreptio) niti jura ac privilegia nostra.

2. Falsum quoque est quod inscio & invito populo Anglicano data nobis sint; cum de scientia non minus, quam publico applausu veterum Parlamentorum, publicè constet; populus autem repræsentativè sit in Parlamentis. Indè quod Parlamentorum consensu factum est, totius populi authoritate, scientiâ, assensu, applausu, factum esse, sicut omnis juris ratio docet, censetur.

3. Falsissimum verò est, quod sordium, importunarum precum, fraudulentæ clandestinitatis, similiumque artium insimulare Majores nostros conantur; quarum in eos, probato totius populi assensu, ne suspicio quidem cadere potest: Imò ipsos Adversariorum anteambulones quoties simile quid hodiernis aggressi sunt, Regum lenitate abusos, gratiæ ac favoribus eorum obrepsisse, suis privatis utilitatibus litasse, vel inde manife-

stum

ſtum ſit; quod, quicquid unquam impetraverunt contra Hanſeaticos, detectâ mox cauſæ injuſtitia abolitum, inſtar nubeculæ ſemper evanuerit, jusque noſtrum hactenus manſerit integrum atque aſſertum.

4 Cumque jam Parlamentorum autoritate interveniente, populi totius communis ſponſio facta eſſe cenſeatur; ſequitur & hoc; utcunque Regia nonnunquam autoritas Parlamentorum conſilium admittat, tamen veterum atque æquè legitimorum Parlamentorum acta reſcindi ab inſequentibus Parlamentis, nec poſſe jure, nec per honeſtatem debere: cum nec par in parem habeat imperium, nec præſens Parlamentum facere velle credendum ſit anteceſſoribus quod ipſum fieri ſibi nolit à poſteris ſuis.

III. SVBREPTIO

HUjusmodi ferè eſt: *Data licet Hanſeaticis jura quædam fuerint olim, id tamen factum eſſe certis ſub conditionibus, certo reſpectu, & ad certos fines. Inter has ſive conditiones, ſive reſpectus, ſive fines, præcipuam eſſe exportationem pannorum Anglicorum, ad quam Hanſeaticos viciſſim ajunt teneri; & quidem in tantâ copiâ, ut tota natio Anglicana inſignem indè ſentiat utilitatem. Jam verò nullos pannos ab Hanſeaticis amplius exportari,*

 ſed

ſed commercium illud totum rediiſſe ad ipſos Anglicanos, puta Adventurerios. Hos uno anno ſæpè bis amplius exportare, quam Hanſeatici olim duobus aut tribus annis; Ita ceſſante conditione & fine, ceſſare utique jura ipſa. Sed

RESPONDETUR:

1. Pannorum exportationem quod attinet, jam ex ſupradictis conſtat, futura Angliæ commoda atque utilitates non fuiſſe juris Hanſeatici præcipuam aut ſolam ſive cauſam ſive conditionem; ſed potius, ut ipſa Anglia immenſo liberaretur debito, quo Civitatibus contractus tempore erat obnoxia. Atque in eo quidem tum temporis maximum totius populi verſabatur emolumentum, ut Hanſeaticæ Civitates in ſolutionem debiti acciperent jura potius ac privilegia quædam pro tot beneficiis præque immensâ pecuniæ ſummâ.

2. Hinc noſtris quoque temporibus non tàm ad Angliæ ſive emolumenta ſive damna, quæ ſentire forte ex horum privilegiorum conceſſione Anglia poſſit, reſpiciendum eſt; quàm ad id quod principaliter actum fuit; nempè ut Hanſeaticis coemendi & evehendi panni Anglicani in perpetuum jus eſſet, præ aliis nationibus, idque ob præcedentia eorum merita pariter & damna perpeſſa.

3. Quin ut reſolvatur totum illud, quod ad finem unum vel alterum aut ſub conditione aliquâ contractum eſt, oportet hoc in ipſa conventione expreſſum eſſe, cum cæteroquin unius rei plures poſſint eſſe fines acceſſorii; nec omnis conditio habeat vim pacti reſolutivam, ſed ea tantùm, quæ totius conventionis vera & ſola cauſa fuit, ac ſpecialiter ita contractui adjecta, ut ceſſante illa, contractus habeatur pro diſſoluto.

4. **Tum quod apprimè notandum, & toti Angliæ perquam**

eſt

eſt notiſſimum, ipſaque adeo Adventureriorū Hamburgenſium ſocietas palàm teſtatur, non modò non ceſſare evectionem pannorum, (quamvis ab Hanſeaticis nunc quidem nihil evehatur) ſed nec per Hanſeaticos ſtetiſſe hactenus aut adhuc ſtare, quo minus in pannarii iſtius commercii evectionisque poſſeſſione ipſi manſerint. Nemo autem ſine culpâ ſuâ damnum pati, multo minus quæſito jure privari debet.

Sequitur hinc iterum,

1. Cum Hanſeatici jus ſuum acquiſiverint titulo valdè oneroſo, manere illud perpetuum & irrevocabile:

2. Nec poſſe revocari aut mutari conditione quamvis extrinſecâ & acceſſoria aliqua ceſſante.

3. Uti nec fine uno vel altero acceſſorio ceſſante.

4. Multo minus privatæ utilitatis causâ.

5. Multo imo minus ſi pars altera eodem adhuc emolumento, quamvis per alios, fruatur.

6. Cum nec liceat naturaliter alterutri parti reſilere à tali contractu ſuæ utilitatis gratiâ, invitâ parte alterâ, infinitam inde læſionem paſſurâ.

7. Frivolè itaque agere patet Informatores, qui ejusmodi fucis fallere improvidos & incautos ſatagunt.

IV. SUBREPTIO

EST ſimilis fermè priori. *Exſpiraſſe* enim *jus Hanſeaticum*, ajunt, *adeoque jus domus Stiliardanæ; quod ipſa corporatio, hoc eſt corpus & ſubjectum, cui jus illud initio quæſitum eſt, deſierit eſſe, aut ſaltem ob raritatem Germanicorum mercatorum vix appareat. Ideò ceſſante ſimul domus illius commercio, Angliæ utilitatibus conſecrato, ceſſare ipſum jus.*

RESPONDETUR:

Atqui 1. modo demonstratum est, solius pannariæ utilitatis causa non venisse Hanseaticos in possessionem Curiæ Stiliardanæ.

2. Nec prout commodum fortè atque utile est alterutri parti, contractum illico dissolvi aut enervari.

3. Ipsa obiectio de corpore seu subiecto privilegiorum sublato aut saltem non amplius conspicuo, si referatur ad Civitates, manifestè falsa est. Quis enim ignorat fœdus Hanseaticum inter præcipuas urbes (ut sunt: Lubeca, Brema, Hamburgum, Dantiscum, Brunsvviga, Colonia Ubiorum, &c.) durare in hunc diem, nec emortuum esse corpus, licet ex 72. Civitatibus, quibus olim constabat, multæ imbecilliores secessionem fecerint, nonnullis ob libertatem etiam amissam exclusis. Certè adhuc conventus suos celebrant, & Legatos mittunt coniunctim, & in Germaniæ Constitutionibus publicis, tàm recentioribus, quàm antiquis earum fit mentio honorifica, & in Gallia, Hispania, Suecia, Dania, Moschovia, Polonia, Belgio, & agnoscuntur adhuc, & juribus suis, tanquam corpus fœderatum fruuntur. Sin respiciatur ad mercatores in domo Stiliardana commorantes: quomodo horum vel paucitas vel factum aliquod, efficere poterit ut ipsa Domus Civitatibus auferatur? cum:

1. Nec iidem mercatores, sed Civitates Hanseaticæ sint Curiæ illius Domini.
2. Necdum admisisse eos quid, amissione juris ullavé tali pœna dignum, unquam hactenus auditum, aut probatum est.
3. Et si quid tale delinquerent, pœnæ suos tenere debent autores.

4. Infre-

4. Infrequentia vero eorum nec ipsis imputari potest, cum occupato paulatim ab Anglis pannario commercio, ipsi nunc ab eodē (quo jure quâve injuriâ) exclusi, ad tantam paucitatem & infrequentiam, invitissimi sanè, redacti sint; ut nulla ratio permittat sine culpâ suâ, prærerque omne meritum afflictis addere afflictionem, injurias injuriis cumulare.

5. Imo Informatores ipsi præcipuo hoc colore utuntur; restringendū esse extraneis Anglicanum commercium, ut Angliæ subditi eo soli fruantur. Contraria vero sunt: & cupere & intendere planè exterminium peregrini commercii, & tamen punire velle nostrates ademptione juris sui, quod ad paucitatem redacti non majori numero & amplius hic commercium frequentent. Planè contra naturalem rationem est, qui jam in alterius commodum cessit aliqua parte juris sui, eum privari porrò omni reliquo jure, ob hoc ipsum, quod parte illa cesserit.

6. Denique iuris à communi ratione haud alieni regula est: Collegium quod in plurimis personis cæpit, posse vel in tribus aut minori etiam numero conservari.

Sequitur hinc

1. Falsum planè, & evidentissimæ veritati contrarium esse, quod de sublatâ, destructa, imminutave corporatione illa, cui privilegia juraque memorata quæsita sunt, objiciunt.

2. Neque esse quærendum, quid utilitatis hodiè post tot annorum spacia, sive in publicum, sive privatim Angliæ conferat domus Stiliardana (semel enim demonstratum est, argumentum hoc esse invalidum) sed utrum Civitates Hanseaticæ eadem domo adhuc commodo suo (quale & quantumcunque sit) uti velint & possint.

3. Etiam

3. Etiam tres aut duos, imo unum Mercatorem nomine Hanſeaticæ ſocietatis ibi commorantem, conſervare totum jus Hanſeaticum.

4. Quoad facta inhabitantium, ſi quæ probentur, diſtinguendum eſſe factum totius ſocietatis, à facto ſingulorum.

5. Et falli itaque Informatores, & eosdem fallere Parlamentum populumque Anglicanum, quoties hoc argumento ad convellenda domus Stiliardanæ jura utuntur.

V. SUBREPTIONI

LOcum facit alius adhuc utilitatis Reipublicæ populique Anglicani prætextus. Ajunt enim: *Ærarium ſublatâ domo Stiliardaná auctius reddi poſſe annuatim 2000. libris Sterlingorum: Quâ ſpecie non ſolum incautos circumveniunt, ſed & populo os oblinere ſtudent, & eundem contra Hanſeaticos exacerbare.* Verumenimverò,

RESPONDETUR:

1. Jam antè conſtat, ubi mutua obligatio eſt, & par jus inter contrahentes, non poſſe alterutrius commodi gratia alteri ius ſuum adimi vel minui.

2. Et quæ ratio unquam hoc ius dictavit? Licere mihi adimere alteri, quod jure in perpetuum quæſito ille poſſidet, meæ utilitatis causá?

3. Quæ autem utilitas eſſe poſſit in eo? quod non ſolum ab honeſtate abit, ſed & cum diſpendio gloriæ nominisque Anglicani coniunctum foret?

4. Nam & illud, quod fraudari innuunt ærarii reditus Stiliardanæ domus occaſione, indeque iſtum ſibi 2000. librarũ computum efficiunt, nec probatum hactenus vidimus, & ut falſum planè ab Inhabitatoribus Stiliardæ aſſeritur.

5. Credi-

5. Credibile est admodùm, totum quod exinde perciperetur commodum, hoc ipsum privatos homines sibi aucupari potius, quàm studio juvandi boni publici.

6. Si quæ tandem utilitas publica spectanda hic esset; pro exquisitissimâ sua prudentiâ tamen judicabit Celsissimum Parlamentum, utrum præstet exigui lucelli causâ (nec enim ad Thesauros Angliæ, terræ inter Europæas opulentissimæ, ista summa plus conferre potest, quàm aquæ guttula Oceano Britannico aspersa) vim adhibere juribus Civitatum Hanseaticarum, cum jactura amicitiæ commerciique propè Germanici (maritimum enim Germaniæ commercium, totum penes Civitates est) an potius 400. annorum amicitiam, jura & Commercii consuetudinem, servare porrò integra, ne dicam, (quod maximè tamen utriusque partis bono fieri potest) augere.

Sequitur hinc

1. Fucum fieri, merumque & inanem esse prætextum, quicquid hic de publica utilitate iterum jactatur,

2. Quin imò interesse & expedire magis Angliæ, Hanseatica jura & servari intacta & augeri potius.

VI. SUBREPTIO

HÆc est, quod vociferantur: *Reges defunctos jam pridem reoccupasse possessionem domus Stiliardicæ; nostram contra possessionem per vim & intrusionem*, ut loquuntur, *denuò quæsitam, illegitimam & injustam esse.*

RESPONDETUR:

At verò 1. manifestus hic dolus committitur, dum acta publica nec bonâ fide nec plenè allegantur. Afferunt enim initium actionis; exceptiones vero oppositas & litis exitum omittunt.

Mutilatò ingerunt, quid unus vel alter Rex ad importunas Hanseaticis malè cupientium preces, causa nondum cognita fortè statuerit facere; reticent atque occultant, quid secutum sit, quis, causa cognita, precumq; injustitia detecta, fuerit rei exitus, quomodo denique judicialibus litigiis omissis, ad peculiares conventus, colloquia & amicabiles tractatus cuncta semper remissa.

2. Nec tamen ullius Regis tempore eousque deventum est, ut Civitates de possessione sua dejectæ fuerint.

3. Nam & quod Elisabetha Regina occupare Stiliardam tentaverit, non diturnum fuit; manentibus nihilominus in continua possessione Civitatibus, quod & res ipsa comprobat, & notissimum est toti populo Anglicano.

Sequitur hinc:

1. Falsò & absurdè asseri, occupatam olim à Regibus Stiliardam transiisse in Domanium Reipublicæ hujus in eoque adhuc esse, aut saltem jure vindicari posse:

2. Falsum quoque esse, quod de reoccupata per vim & intrusionem nostratium possessione fabulantur.

3 Et num vel verisimile saltem est, paucos aliquot MercatoresStiliardam inhabitantes, homines certè privatos, potuisse unquàm vi aut intrusione reoccupare fundum controversum, palàm, in conspectu Regum, regiæque aulæ (nec enim clàm eorum quenquam hoc fieri potuisset) ipsis Regibus nolentibus? Quomodo invitâ Elisabethâ, Reginâ Anglicano populo optimè cupienti? Quomodo invitis Parlamentis? Quomodo vidente & spectante populo Londinensi? Quæ vis? quæ intrusio istos potuisset tueri contra Regum, Reginæ aut Parlamentorum voluntatem?

4. Unde manifestum fit, Civitates & mansisse semper & adhuc

huc esse in possessione legitimâ, perpetuâ, & continuâ domus istius. *Legitimâ*, quia onerosissimis modis ac titulis initio quæsita; *Perpetuâ*, quia continuata; *Continuâ*; quia nunquam interrupta.

VII. SUBREPTIO

PRocessum *Schaccharii* judicii respicit: *Hoc enim ideò competens forum esse volunt, quoniam causa ipsa spectet ærarium & domanium Reipublicæ. Talium rerum verò competentes judices esse Barones & Assessores dicti judicii; vel si hoc declinare velimus, non posse tamen recusari* Custodes *libertatis Anglicanæ nuper ad vindicanda & stabilienda populi jura constitutos.*

RESPONDETUR:

Atqui 1. Et jam olim & nuper memorialibus exhibitis demonstratum fuit, quamobrem negotium hoc Stiliardanum ad judicia Reipublicæ huius trahi, ipsâ quippe rei naturâ refragante, nequeat. Ubi enim ipse populus Anglicanus (sive actor, sive reus sit) partis locum obtinet, quomodo vel ipse vel eius nomine dicti Barones & Assessores poterunt in eadem causâ esse judices?

2. Ac certè sequeretur hoc fundamento posito, posse omnium Regum nationumque alia vel similia cum Anglis pacta, fœdera, conventiones, jura quæsita, quamprimum Angliæ commodum visum fuerit, vel si quid in iis Anglia desideret, ad Tribunal hoc Schaccharium vocari: Id quod profectò nõ modo absurdũ, sed ab omni quoque gentiũ ratione foret alienissimum.

3. Nec dubitari ullò modo poterit, conventiones & pacta cum Hanseaticâ societate inita, utcunque privilegia latiori vocis usu appellitentur, esse verò contractus gentis cum gente; adeoque tum ratione contrahentium, tum materiæ in contractum deductæ, ab omni alterutrius partis jurisdictione exempta, nec sine manifesta nullitate in alterutrius foro posse disceptari. Nam & Societas Hanseatica, quoad fœdera, commercii securi-

tatisque suę causâ pangenda, liberas habet manus suique est arbitrii, ac ob id, si quid cum iis commercii gratia contractum est, tanquàm cum libero populo actum censeri, nulloque alio quam jure & judicio inter gentes recepto terminari debet.

VIII. SUBREPTIO.

Denique hæc est: *Quod Hanseaticas Civitates perdidisse omne commercii jus apud Anglos existimant, quoniam in Moschoviâ, Norvvegiâ, &c. similes sibi commerciorum sedes fixerint.*

RESPONDETUR:

At verò hoc quidem nullâ ratione nititur. Nec enim, Anglicanis privilegiis acceptis, Angliæ soli ascripti fuerint Majores nostri cum commercio suo, nec ullâ conventione aut pacto alibi commercari sunt prohibiti. Imo, nè ullibi quàm in Angliâ commercarentur, nè ullus quidem Rex Angliæ vel Parlamentum postulavit unquam: ut taceatur, ipsâ notorietate confutari has inanias, quâ constat ultra 300 annos dictis in locis commercium exercuisse Hanseaticos, manente interim nihilominus Anglicano commercio juribusque ibidem quæsitis.

Ex his omnibus collectim sequitur & concluditur:

1. Prætensorum Informatorum informationes ac petitiones, quibus jus alteri quæsitum occupare satagunt, tendere contra legem omnium universalissimam: *Quæ tibi non vis fieri alteri ne feceris*; tendere contra dilectionem Christianam; contra ipsa denique jura Anglicana, utpote à divinis & naturæ legibus procul dubio nunquam recedentia, adeoque esse injustas omni jure.

2. Ideo-

2. Ideoque nec audiendas, ſed in ipſo limine Parlamenti rejiciendas.

3. Imò ut pernicioſas & ut nomini Anglicano probroſas, (quid enim honeſti habet? quatuor ſeculorum amicitiam, commercii propè totius Germanici conſuetudinem, tot præterea pactorum fidem atque conſtantiam ſpe lucelli 2000. librar: Sterling: incidere uno ictu velle) damnandas: Quin

4. Nec ſummæ ingratitudinis notam evitaturas, ſi reputetur ſimul (quod Inſtigatores iterum de induſtriâ tacent) quantum commodi iam diu Hamburgum præbuerit Anglicano populo, præbendo ſtapulam mercibus Anglicanis: Quantam porro frumenti copiam ſuppeditaverit plerisque annis Lubeca, cum ſumma eius penuria laboraret Anglia; quam liberali denique manu, Senatus Lubecenſis nuperrimè admodum Anglis Hamburgi commorantibus (reclamantibus licet Lubecenſium ſtatutis) transvectionem mercium Anglicarum per urbem ſuam ex mare Balthico, periculi tum bellici, tum vitandæ longioris & difficilioris per fretum Danicum enavigationis gratia, donec præſens Boreale bellum deſæviat, permiſerit; alia officia, quæ à ſingulis Hanſæ Civitatibus ſperare indies natio Anglicana poſſit, ut iam prætereantur.

5. Contrà vero, ultro ſequitur & concluditur, Civitates Hanſeaticas niti optimo & firmiſſimo iure, ac ob id in poſſeſſione & iure ſuo intemeratè eſſe relinquendas.

6. Nec cuiquam, nedum Inquiſitoribus eiusmodi ſub publicæ autoritatis ſpecie fallentibus, permittendum eſſe, quo quid fiat agaturvè præiudicio illarum.

7. Id vero & glorioſum eſſe nomini Anglicano, & in publicum, (ſi penitùs res introſpiciatur) fore quam maximè utile & ſalutare.

Quare dictarum Civitatum totiusque fœderatæ societatis Hanseaticæ nomine peto:

1. Informationes tales & similia Tentamina adversus manifesta & notoria Stiliardanæ domus jura, imposterum à limine judiciorum statim removeri.

2. Si quid dubium oriatur quod domum aut jura ejus spectet, pro more inter moratiores gentes, & hactenus etiam inter ipsam Angliam & Hanseaticas Civitates observato, ad amicabiles tractatus inter Rempublicam hanc & dictas Civitates remitti:

3. Cuncta interea in statu suo integra & intemerata, adeoque in specie exemptionem illam ab oneribus tàm personalibus quàm realibus, qua hactenus Stiliardæ Inhabitatores usi sunt, secundum antiqua privilegia, sine infractione relinqui:

4. Denique Hanseaticis Mercatoribus, tùm conservandi tùm augendi inter Anglicanum populum & Germaniam mutui commercii gratiâ, pristinam adnavigandi commercandique per Angliæ dominia libertatem, prout olim, sine ullâ limitatione aut restrictione imposterum quietam servari, prout hęc omnia recta ratio, jus & fas gentium postulant.

Formula

Formula inclusionis Civitatum Hanseaticarum in Pacem Hispano Gallicam Madriti die 22. Septemb. anno 1660.

Philippus Hispaniarum & Indiarum Rex

Etsi Nobis expositum sit Civitates Hanseaticas articulo 122. *Pacis Hispano-Gallicæ die 7. Novembris anni proxime elapsi millesimi sexcentesimi quinquagesimi noni inter Confœderatos nostros implicitè contineri, pariter ut anno 1598. Instrumento Pacis Vervinensis sub nomine* Civitatum *maritimarum S. Romani* Imperii *disertis verbis comprehensæ fuerunt; quia tamen ex dispositione articuli* 122. *ante terminum declarationem nostram specialem desiderarunt.* Itaque *testamur vigore præsentium literarum apud* Christianissimum *Regem, Nos supra nominatas Civitates Hanseaticas in hunc finem pro amicis & Confœderatis nostris agnoscere, ut participes fiant emolumentorum dictæ Pacis, sub iis conditionibus, quæ in allegato articulo* 122. *exprimuntur. Et ut hoc ipsum tanto melius innotescat, Mandavimus hanc declarationem manu & Sigillo nostro munitam, subscriptamque à Secretario Status in duplo exhiberi Agenti Civitatum Hanseaticarum, ut unum exemplar possint offerre Christianissimo Galliarum Regi, alterum verò retinere. Madriti die 22. Septemb. anno 1659.*

Ego Rex

Don Luis Oyangura.

Epistola

L. S.
Regii.

Epistola Caroli II. Angliæ Regis pro commerciis Reipubl. Bremensis die 18. Novemb. anno 1661.

CArolus Dei Gratiâ, Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei Defensor &c. Omnibus ad quos præsentes litteræ pervenint, salutem. Cum Proconsules & Consules Civitatis Bremensis, literis suis prid. Calend. Sept. jam currentis à nobis petierint, ut Statutum à Nobis nuper promulgatū, quo prohibetur, ne ulla posthac mercimonia in Regna nostra invehantur, præterquam in navibus vel Nostratibus vel eorum locorū propriis, ubi dicta mercimonia crescunt aut fiunt; non extendatur ad præjudicium dictæ civitatis naviumque inde in Angliam commercia agentiū: Nos ex gratia Nostra singulari, & in testimonium amicitiæ Nostræ erga dictam civitatem declaravimus, ac per hasce literas Nostras declaramus, licere omninò dictis Bremensibus nautis & mercatoribus imposterum, sicut hactenus consueverunt, in portus & loca Regnorum nostrorum navigare & ibi commercia agere. Proviso, quod dicti nautæ & mercatores vel eorū Factores, juramento coram Officiariis Nostris præstito confirment, naves quibus utuntur aut usuri sunt, ad Bremenses propriê, absolutè & in perpetuum pertinere, esseque ab ipsis fabrefactas, aut pretio emptas, non solùm mercede conductas, quodque Nautæ supradictarū Naviū, aut major eorum numerus, dictæ Civitatis Bremensis incolæ sint. Proviso etiam, quòd mercimonia in dictis navibus onerata vel oneranda territoriis dictæ Civitatis, vel in circumjacentibus Imperii Romano-Germanici terris crescant aut fiant, vel aliunde in portum ejus Civitatis communiter primò advehantur, ut inde in alia loca & regiones transportentur. Quibus singulis ritè præstitis & observatis, volumus ut dicti Nautæ & Mercatores Bremenses liberè navigent in Regna nostra, ibique commercia agant, absque metu confiscationis, molestiæ aut ullius periculi, non obstante prædicto statuto. In cuius rei testimonium hasce literas Nostras, Regali sigillo Nostro muniri fecimus & manu Nostra signavimus. Datum ad Palatium Nostrum VVestmonasteriense, die Mensis Septembris prædicti decimo octavo. Anno Domini 1661. Regnique Nostri tertio decimo.

Ad mandatum Serenissimi Domini Regis

Edu: Nicholas.

F I N I S.

8409

3. Etiam tres aut duos, imo unum Mercatorem nomine Hanſeaticæ ſocietatis ibi commorantem, conſervare totum jus Hanſeaticum.

4. Quoad facta inhabitantium, ſi quæ probentur, diſtinguendum eſſe factum totius ſocietatis, à facto ſingulorum.

5. Et falli itaque Informatores, & eosdem fallere Parlamentum populumque Anglicanum, quoties hoc argumento ad convellenda domus Stiliardanæ jura utuntur.

V. SUBREPTIONI

Locum facit alius adhuc utilitatis Reipublicæ populique Anglicani prætextus. Ajunt enim: *Ærarium ſublatâ domo Stiliardaná auctius reddi poſſe annuatim 2000. libris Sterlingorum: Quâ ſpecie non ſolum incautos circumveniunt, ſed & populo os oblinere ſtudent, & eundem contra Hanſeaticos exacerbare.* Verumenimverò,

RESPONDETUR:

1. Jam antè conſtat, ubi mutua obligatio eſt, & par jus inter contrahentes, non poſſe alterutrius commodi gratia alteri ius ſuum adimi vel minui.

2. Et quæ ratio unquam hoc ius dictavit? Licere mihi adimere alteri, quod jure in perpetuum quæſito ille poſſidet, meæ utilitatis causâ?

3. Quæ autem utilitas eſſe poſſit in eo? quod non ſolum ab honeſtate abit, ſed & cum diſpendio gloriæ nominisque Anglicani coniunctum foret?

4. Nam & illud, quod fraudari innuunt ærarii reditus Stiliardanæ domus occaſione, indeque iſtum ſibi 2000. librarũ computum efficiunt, nec probatum hactenus vidimus, & ut falſum planè ab Inhabitatoribus Stiliardæ aſſeritur.

5. Credi-

5. Credibile est admodùm, totum quod exinde perciperetur commodum, hoc ipsum privatos homines sibi aucupari potius, quàm studio juvandi boni publici.

6. Si quæ tandem utilitas publica spectanda hic esset; pro exquisitissimâ sua prudentiâ tamen judicabit Celsissimum Parlamentum, utrum præstet exigui lucelli causâ (nec enim ad Thesauros Angliæ, terræ inter Europæas opulentissimæ, ista summa plus conferre potest, quàm aquæ guttula Oceano Britannico aspersa) vim adhibere juribus Civitatum Hanseaticarum, cum jactura amicitiæ commerciique propè Germanici (maritimum enim Germaniæ commercium, totum penes Civitates est) an potius 400. annorum amicitiam, jura & Commercii consuetudinem, servare porrò integra, ne dicam, (quod maximè tamen utriusque partis bono fieri potest) augere.

Sequitur hinc

1. Fucum fieri, merumque & inanem esse prætextum, quicquid hic de publica utilitate iterum jactatur,

2. Quin imò interesse & expedire magis Angliæ; Hanseatica jura & servari intacta & augeri potius.

VI. SUBREPTIO

HÆc est, quod vociferantur: *Reges defunctos jam pridem reoccupasse possessionem domus Stiliardicæ; nostram contra possessionem per vim & intrusionem*, ut loquuntur, *denuò quæsitam, illegitimam & injustam esse.*

RESPONDETUR:

At verò 1. manifestus hic dolus committitur, dum acta publica nec bonâ fide nec plenè allegantur. Afferunt enim initium actionis; exceptiones vero oppositas & litis exitum omittunt.

Mutilatò ingerunt, quid unus vel alter Rex ad importunas Hanseaticis malè cupientium preces, causa nondum cognita fortè statuerit facere; reticent atque occultant, quid secutum sit, quis, causa cognita, precumq; injustitia detecta, fuerit rei exitus, quomodo denique judicialibus litigiis omissis, ad peculiares conventus, colloquia & amicabiles tractatus cuncta semper remissa.

2. Nec tamen ullius Regis tempore eousque deventum est, ut Civitates de possessione sua dejectæ fuerint.

3. Nam & quod Elisabetha Regina occupare Stiliardam tentaverit, non diturnum fuit; manentibus nihilominus in continua possessione Civitatibus, quod & res ipsa comprobat, & notissimum est toti populo Anglicano.

Sequitur hinc:

1. Falsò & absurdè asseri, occupatam olim à Regibus Stiliardam transiisse in Domanium Reipublicæ hujus in eoque adhuc esse, aut saltem jure vindicari posse:

2. Falsum quoque esse, quod de reoccupata per vim & intrusionem nostratium possessione fabulantur.

3 Et num vel verisimile saltem est, paucos aliquot MercatoresStiliardam inhabitantes, homines certè privatos, potuisse unquàm vi aut intrusione reoccupare fundum controversum, palàm, in conspectu Regum, regiæque aulæ (nec enim clàm eorum quenquam hoc fieri potuisset) ipsis Regibus nolentibus? Quomodo invitâ Elisabethâ, Reginâ Anglicano populo optimè cupienti? Quomodo invitis Parlamentis? Quomodo vidente & spectante populo Londinensi? Quæ vis? quæ intrusio istos potuisset tueri contra Regum, Reginæ aut Parlamentorum voluntatem?

4. Unde manifestum fit, Civitates & mansisse semper & adhuc

huc esse in possessione legitimâ, perpetuâ, & continuâ domus istius. *Legitimâ*, quia onerosissimis modis ac titulis initio quæsita; *Perpetuâ*, quia continuata; C*ontinuâ*, quia nunquam interrupta.

VII. SUBREPTIO

PRocessum *Schaccharii* judicii respicit: *Hoc enim ideò competens forum esse volunt, quoniam causa ipsa spectet ærarium & domanium Reipublicæ. Talium rerum verò competentes judices esse Barones & Assessores dicti judicii; vel si hoc declinare velimus, non posse tamen recusari* C*ustodes libertatis Anglicanæ nuper ad vindicanda & stabilienda populi jura constitutos.*

RESPONDETUR:

Atqui 1. Et jam olim & nuper memorialibus exhibitis demonstratum fuit, quamobrem negotium hoc Stiliardanum ad judicia Reipublicæ huius trahi, ipsâ quippe rei naturâ refragante, nequeat. Ubi enim ipse populus Anglicanus (sive actor, sive reus sit) partis locum obtinet, quomodo vel ipse vel eius nomine dicti Barones & Assessores poterunt in eadem causâ esse *j*udices?

2. Ac certè sequeretur hoc fundamento posito, posse omnium Regum nationumque alia vel similia cum Anglis pacta, fœdera, conventiones, *j*ura quæsita, quamprimum Angliæ commodum visum fuerit, vel si quid in iis Anglia desideret, ad Tribunal hoc Schaccharium vocari: Id quod profecto nõ modo absurdũ, sed ab omni quoque gentiũ ratione foret alienissimum.

3. Nec dubitari ullo modo poterit, conventiones & pacta cum Hanseaticâ societate inita, utcunque privilegia latiori vocis usu appellitentur, esse veros contractus gentis cum gente; adeoque tum ratione contrahentium, tum materiæ in contractum deductæ, ab omni alterutrius partis *j*urisdictione exempta, nec sine manifesta nullitate in alterutrius foro posse disceptari. Nam & Societas Hanseatica, quoad fœdera, commercii securi-

tatisque suę causâ pangenda, liberas habet manus suique est arbitrii, ac ob id, si quid cum iis commercii gratia contractum est, tanquàm cum libero populo actum censeri, nulloque alio quam jure & judicio inter gentes recepto terminari debet.

VIII. SUBREPTIO.

Denique hæc est: *Quod Hanseaticas Civitates perdidisse omne commercii jus apud Anglos existimant, quoniam in Moschoviâ, Norvvegiâ, &c. similes sibi commerciorum sedes fixerint.*

RESPONDETUR:

At verò hoc quidem nullâ ratione nititur. Nec enim, Anglicanis privilegiis acceptis, Angliæ soli asscripti fuerint Majores nostri cum commercio suo, nec ullâ conventione aut pacto alibi commercari sunt prohibiti. Imo, nè ullibi quàm in Angliâ commercarentur, nè ullus quidem Rex Angliæ vel Parlamentum postulavit unquam: ut taceatur, ipsâ notorietate confutari has inanias, quâ constat ultra 300 annos dictis in locis commercium exercuisse Hanseaticos, manente interim nihilominus Anglicano commercio juribusque ibidem quæsitis.

Ex his omnibus collectim sequitur & concluditur:

1. Prætensorum Informatorum informationes ac petitiones, quibus jus alteri quæsitum occupare satagunt, tendere contra legem omnium universalissimam: *Quæ tibi non vis fieri alteri ne feceris*; tendere contra dilectionem Christianam; contra ipsa denique jura Anglicana, utpote à divinis & naturæ legibus procul dubio nunquam recedentia, adeoque esse injustas omni jure.

2. Ideo-

2. Ideoque nec audiendas, ſed in ipſo limine Parlamenti rejiciendas.

3. Imò ut pernicioſas & ut nomini Anglicano probroſas, (quid enim honeſti habet? quatuor ſeculorum amicitiam, commercii propè totius Germanici conſuetudinem, tot præterea pactorum fidem atque conſtantiam ſpe lucelli 2000. librar: Sterling: incidere uno ictu velle) damnandas: Quin

4. Nec ſummæ ingratitudinis notam evitaturas, ſi reputetur ſimul (quod Inſtigatores iterum de induſtriâ tacent) quantum commodi iam diu Hamburgum præbuerit Anglicano populo, præbendo ſtapulam mercibus Anglicanis: Quantam porro frumenti copiam ſuppeditaverit pleriſque annis Lubeca, cum ſumma eius penuria laboraret Anglia; quam liberali denique manu, Senatus Lubecenſis nuperrimè admodum Anglis Hamburgi commorantibus (reclamantibus licet Lubecenſium ſtatutis) transvectionem mercium Anglicarum per urbem ſuam ex mare Balthico, periculi tum bellici, tum vitandæ longioris & difficilioris per fretum Danicum enavigationis gratia, donec præſens Boreale bellum deſæviat, permiſerit; alia officia, quæ à ſingulis Hanſæ Civitatibus ſperare indies natio Anglicana poſſit, ut iam prætereantur.

5. Contrà vero, ultro ſequitur & concluditur, Civitates Hanſeaticas niti optimo & firmiſſimo iure, ac ob id in poſſeſſione & iure ſuo intemeratè eſſe relinquendas.

6. Nec cuiquam, nedum Inquiſitoribus eiusmodi ſub publicæ autoritatis ſpecie fallentibus, permittendum eſſe, quo quid fiat agaturvè præiudicio illarum.

7. Id vero & glorioſum eſſe nomini Anglicano, & in publicum, (ſi penitùs res introſpiciatur) fore quam maximè utile & ſalutare.

Quare dictarum Civitatum totiusque fœderatæ societatis Hanseaticæ nomine peto:

1. Informationes tales & similia Tentamina adversus manifesta & notoria Stiliardanæ domus jura, imposterum à limine judiciorum statim removeri.

2. Si quid dubium oriatur quod domum aut jura ejus spectet, pro more inter moratiores gentes, & hactenus etiam inter ipsam Angliam & Hanseaticas Civitates observato, ad amicabiles tractatus inter Rempublicam hanc & dictas Civitates remitti:

3. Cuncta interea in statu suo integra & intemerata, adeoque in specie exemptionem illam ab oneribus tàm personalibus quàm realibus, qua hactenus Stiliardæ Inhabitatores usi sunt, secundum antiqua privilegia, sine infractione relinqui:

4. Denique Hanseaticis Mercatoribus, tùm conservandi tùm augendi inter Anglicanum populum & Germaniam mutui commercii gratiâ, pristinam adnavigandi commercandique per Angliæ dominia libertatem, prout olim, sine ullâ limitatione aut restrictione imposterum quietam servari, prout hęc omnia recta ratio, jus & fas gentium postulant.

Formula

Formula inclusionis Civitatum Hanseaticarum in Pacem Hispano Gallicam Madriti die 22. Septemb. anno 1660.

Philippus Hispaniarum & Indiarum Rex

Etsi Nobis expositum sit Civitates Hanseaticas articulo 122. Pacis Hispano-Gallicæ die 7. Novembris anni proxime elapsi millesimi sexcentesimi quinquagesimi noni inter Confœderatos nostros implicitè contineri, pariter ut anno 1598. Instrumento Pacis Vervinensis sub nomine Civitatum maritimarum S. Romani Imperii disertis verbis comprehensæ fuerunt; quia tamen ex dispositione articuli 122. ante terminum declarationem nostram specialem desiderarunt. Itaque testamur vigore præsentium literarum apud Christianissimum Regem, Nos supra nominatas Civitates Hanseaticas in hunc finem pro amicis & Confœderatis nostris agnoscere, ut participes fiant emolumentorum dictæ Pacis, sub iis conditionibus, quæ in allegato articulo 122. exprimuntur. Et ut hoc ipsum tanto melius innotescat, Mandavimus hanc declarationem manu & Sigillo nostro munitam, subscriptamque à Secretario Status in duplo exhiberi Agenti Civitatum Hanseaticarum, ut unum exemplar possint offerre Christianissimo Galliarum Regi, alterum verò retinere. Madriti die 22. Septemb. anno 1659.

Ego Rex

Don Luis Oyangura.

Epistola



Epistola Caroli II. Angliæ Regis pro commerciis Reipubl. Bremensis die 18. Novemb. anno 1661.

CArolus Dei Gratiâ, Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei Defensor &c. Omnibus ad quos præsentes litteræ pervenint, salutem. Cum Proconsules & Consules Civitatis Bremensis, literis suis prid. Calend. Sept. jam currentis à nobis petierint, ut Statutum à Nobis nuper promulgatũ, quo prohibetur, ne ulla posthac mercimonia in Regna nostra invehantur, præterquam in navibus vel Nostratibus vel eorum locorũ propriis, ubi dicta mercimonia crescunt aut fiunt; non extendatur ad præjudicium dictæ civitatis naviumque inde in Angliam commercia agentiũ: Nos ex gratia Nostra singulari, & in testimonium amicitiæ Nostræ erga dictam civitatem declaravimus, ac per hasce literas Nostras declaramus, licere omninò dictis Bremensibus nautis & mercatoribus imposterum, sicut hactenus consueverunt, in portus & loca Regnorum nostrorum navigare & ibi commercia agere. Proviso, quod dicti nautæ & mercatores vel eorũ Factores, juramento coram Officiariis Nostris præstito confirment, naves quibus utuntur aut usuri sunt, ad Bremenses propriè, absolutè & in perpetuum pertinere, esseque ab ipsis fabrefactas, aut pretio emptas, non solùm mercede conductas, quodque Nautæ supradictarũ Naviũ, aut major eorum numerus, dictæ Civitatis Bremensis incolæ sint. Proviso etiam, quòd mercimonia in dictis navibus onerata vel oneranda territoriis dictæ Civitatis, vel in circumjacentibus Imperii Romano-Germanici terris crescant aut fiant, vel aliunde in portum ejus Civitatis communiter primò advehantur, ut inde in alia loca & regiones transportentur. Quibus singulis ritè præstitis & observatis, volumus ut dicti Nautæ & Mercatores Bremenses liberè navigent in Regna nostra, ibique commercia agant, absque metu confiscationis, molestiæ aut ullius periculi, non obstante prædicto statuto. In cuius rei testimonium hasce literas Nostras, Regali sigillo Nostro muniri fecimus & manu Nostra signavimus. Datum ad Palatium Nostrum VVestmonasteriense, die Mensis Septembris prædicti decimo octavo. Anno Domini 1661. Regnique Nostri tertio decimo.

Ad mandatum Serenissimi Domini Regis

Edu: Nicholas.

F I N I S.

8409



